Statuta.

Pol. 8. II. 1144

STATVTA

Fratrum Minorum Observantium

S. P. N. FRANCISCI

Alme Provincie [illegible]

1666

S. MARIÆ

STATVTA
Fratrum Minorum Obſervantium
S. P. N. FRANCISCI
Almæ Provinciæ ~~Majoris Poloniæ~~

III. 6

S. MARIÆ ANGELORVM,

Ex antiqvis Ordinationibus BB. PP.
Ladislai de Gielniow, & Raphàèlis de Proſzewice:
Ac
Recentioribus Conſtitutionibus Generalibus, & Decretis Apoſtolicis
Compilata;
Pro puriori Regulæ Seraphicæ Obſervantia ad inviolabiliter obſervandum
Tradita
Anno Domini, 1728.
De Mandato Superiorum.

Schlichtingkowiæ,
Typis Johannis Godofredi Haſii.

Qvi qværit legem, replebitur ab ea, & qvi insidiosè agit, scandalisabitur in ea. Ecclesiastici cap. 32. v. 19.

Sapiens non odit mandata, & justitias, & lex illi fidelis. Ecclesiastici cap. 33.

2601

Pol. 8, II 1144

Ad Lectorem.

CUm in primævis Statutis hujus noſtræ Provinciæ Majoris Poloniæ Obſervantis de Anno 1640. congeſtis & confirmatis; plurimæ Conſtitutiones Generales & Apoſtolicæ potiſſimum recentiores, (qvæ Singulas Provincias Obſervantium Cismontanæ Familiæ concernunt & obligant,) inſertæ non fuerint; & qvod dolendum, eadem Statuta incuriâ ac negligentia Scriptorum illa copiantium vel renovantium, plerumqve vitiata, decurtata ac variata evaſerint, adeo ut alia & alia per Conventus diſperſa ſibi diſſonantia invenirentur. Rationabili ac maturâ Patrum Diffinitorii deliberatione ac conſenſu, in Capitulo Skempenſi Anno 1725. provisum fuit, ut juxta antiqvas Provinciæ Polonæ Conſtitutiones, præſertim BB. Patrum Ladislai de Gielniow, & Raphaelis de Proszevvice qvondam Miniſtrorum Provincialium; conformiter ad Statuta Generalia Decretaqve Apoſtolica recentius emanata, Nova Compilatio Statutorum Provincialium, ad obſervandum poſſibilis & neceſſaria, communiqve vivendi rationi accomoda, juxta Poli & Patriæ

triæ vivendi modum ac consvetudinem contexta fieret. Qvod Opus omni diligentiâ, animadversione, correcturâ, Confirmatione, ceterisqve servatis de jure servandis, ex integro perfectum, cum in Lucem prodeat pro utilitate Provinciæ ac Zelo regularis disciplinæ; Ideo qvisqvis es ferventior virtutum sectator, ac Vitæ Fratrum Suorum perfectioris, non segnis æmulator? ad augendum Religionis nitorem, ad proprii meriti Splendorem, Animæqve Salutem; Illud libenti animo amplectere, trutina, rumina, volve revolve. Vale.

CA-

CAPVT I.

De pura Obſervantia Regulæ, & Obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac omnibus Prælatis Ordinis debita.

I.

REgula Fratrum Minorum in hac Provincia Majoris Poloniæ adamuſsim ſervetur, juxta Declarationes ſummorum Pontificum, potiſsimùm Nicolai III. & Clementis V. Proindè quibusvis Diſpenſationibus, Privilegiis, & Indultis, (præfatis Declarationibus quomodocunque contrariis,) abrenunciavit, & abrenunciat. Ne autem ignorantia Legis præbeat occaſionem dèlinqvendi, ſtatuitur, ut pro antiqua Provinciæ hujus conſuetudine, Regula ſancta, quâvis Feriâ Sextâ (Feſto primæ, & ſecundæ Claſſis, ac celebri ad populum non impeditâ,) latino idiomate decantetur, vel legatur, unà cum Teſtamento, pro utraque ad Menſam lectione. In Collatione verò polonicè eadem Regula pro rudioribus omninò legatur. Expoſitio in Regulam, ſivè Fratris Antonii Cordubenſis, ſivè Petri Marchantii, vel alterius approbati Authoris, quâvis Feriâ Qvintâ, & Sabbatho (Feſtis ut ſuprà non impedito,) pro utraque lectione ad Menſam prandii legatur. Idem ſervari curent Superiores Locales circa lectionem Conſtitutionum

Totius Ordinis Statut. antiq.

Polon. antiq.

Decret. Apoſtol.

num Apostolicarum de Celebratione Missarum, Reformatione Regularium &c. diebus præfixis, & in Rubricis adnotatis, sub pœnis ibidèm expressis, quas defactò incurrent negligentes.

II. Et quoniam recentiora Statuta Generalia pro singulis Conventibus non possunt commodè haberi: Volumus, & seriò præcipimus Patribus Guardianis, sivè Præsidentibus, ut hæc nostra Statuta Provincialia, (ex Generalibus ut plurimùm compilata, in suis Conventibus habeant, & servari faciant, ac bis in Anno (nimirùm post Dominicam in Albis, ac post Festum Omnium Sanctorum,) unà cum Declarationibus Apostolicis in Regulam, in fine horum Statutorum positis, tempore Refectionis legi demandent pro utraqve lectione, qvoadusque ex integro non perlegantur. Qvæ Statuta, & Declarationes, ut etiàm Fratres Laici intelligant, Guardianus, aut Vicarius, sivè alius Pater ex gravioribus, ad id specialitèr â R. P. Ministro Provinciali deputatus, vulgari idiomate explicabit.

Polon. 1626. 1640.

III. Juxta mandatum Sancti Patris Nostri Francisci, omnes, & singuli Fratres tenentur præstare debitam obedientiam Summo Pontifici Vicario Christi, Protectori Ordinis, Superioribus Generalibus, ac Provinciali, nec non Superiori Locali respectivè. Item. Reverentiam Prælatis Ecclesiæ, sub pœnis in Statutis Generalibus taxatis contra delinqventes.

Salmantic. c. 1. Toletan. 1633.

CAPVT II.

De Noviciis ad Habitum, & Professionem admittendis, eorumqve Educatione, Vestimentis & Tonsura Fratrum.

I. Qui

I. Qui ad Religionem Noſtram recipi poſtulaverint, (præmiſsâ de Spiritu Vocationis eorum inqviſitione,) examinentur diligentèr, an ſint fideles Catholici, de nullo errore, ac Hæreſi ſuspecti, Matrimonio conſummato non ligati, debitis expediti, reddendæ rationis de adminiſtratione Bonorum alicujus non obnoxii, legitimè nati, conditione liberi, nullâ vulgari infamiâ notati, nec Banniti, aut ad mortem condemnati. Et ſi pro Clericis recipiendi ſunt, ætatis ad minus ſexdecim annorum exiſtant, & quod ſaltèm perfectè lingvam latinam intelligant; Quique ab Hebræis, Mauris, aut Hæreticis, quorum corpora, vel Statuæ combuſtæ ſunt, non deſcendant, vel originem trahant, usque ad quartam generationem. Regul. Præcept. Salmant. c. 2. Sixtus V. Clem. VIII. Trident. Seſs. 25. Greg. XIII.

II. Nullatenùs ad Habitum Religionis noſtræ admittantur Perſonæ ignotæ, vagabundæ, aut alienigenæ, niſi ortûs, & converſationis ſuæ exbibeant authentica teſtimonia. Item: morbo contagioſo, uti Gallico, leprâ, caduco, aut alio incurabili laborantes, membris mutilati, vel aliqvo ſenſu interno, aut externo, perpetuò debilitati, turpitèr in facie vulnerati, & difformes. Habentes parentes adeò pauperes, ut ſine illis ſuſtentari non poſſint. Nec in aliqva approbata Religione profeſsi, absqvè diſpenſatione Apoſtolica, atqve Superiorum ſuorum licentia, & recommendatione. Vel qvi ſèmèl ex qvocunqve Noviciatu Ordinis noſtri ob ſuam ineptitudinem ejecti fuerunt. Hi etenim omnes ſuprà dicti inhabiles declarantur ad Habitûs receptionem. Anno 1678. Salmant. c. 2. Valliſolet. 1593. Rom. 1587. Polon. 1640.

III. Pro Laicis verò illi præſertim ſunt admittendi, qvi ultrà ſupradictas conditiones, aliquam artem Religioni neceſſariam noverint, ſintque ætatis non minùs viginti, & non plus triginta annorum; Niſi adeò notabilis ſit Perſona, quòd ejus receptio magnæ foret populo ædificationis. Clem. VIII.

Aliorum verò pro Laicis aſpirantium, præter ſupradictos,
Polon. 1597. receptio, reſervatur ſoli A. R. P. Miniſtro Provinciali, vel toti Diffinitorio, qui tamèn pro Laicis nullum admittere valent, niſi ad omnia onera, Statui noſtro accommo-
Ibidem 1561. da, aptum, & utilem eſſe probaverint, ſub póenis malè ad Ordinem recipientium.

IV. Hæc diligentia, ſeu Inquiſitio in Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus fieri debet ab A. R. P. Miniſtro, & Diffinitorio, ſimùl congregatis, juxta Decreta Sixti V. Gregorii XIV. Clementis VIII. & Urbani VIII. Sed quia ob locorum diſtantiam, & raram Congregationum celebrationem in hac Provincia, Patrumque Diffinitorii in diverſis, ac remótis Conventibus Reſidentiam, id commodè fieri neqvit; Declaratur, qvòd juxtà Sixti V. modificationem, cap. ad Romanum. §. VII. & antiquiſſimam in Polonia ſempèr practicatam conſuetudinem, A. R. Pr. Miniſter Provincialis, ſi præſens fuerit, unà cum Diſcretis illius Conventûs, ubi Aſpirans ad Habitum admit-
Polon. 1597. ti poſtulaverit, vel eo abſente, Patres Guardiani illorum Conventuum, ubi ſunt Noviciatus, unà cum toto ſuo Diſcretorio, authoritate ſuperioris Provinciæ, ac totius Diffinitorii, ſibi in hac parte conceſsâ, Seculares de Conditionibus ſupradictis examinare, teſtimonia authentica illorum recipere, ad Noviciatum admittere, Habitum concedere, & profeſſari valeant. Quòd ſi facto examine, per ſe ob legitimum impedimentum Patres Guardiani aliquem induere, vel ad Profeſsionem admittere non poſſint, Pater Dignior illius Loci id faciat.

V. Singulis autèm ante Habitûs Receptionem proteſte-
Salmant. c. 2. tur, quòd ſi leprâ, morbo gallico, caduco vel aliâ contagiosâ, vel incurabili infirmitate laboraverint, & ante Profeſsionem idipſum celaverint, eorum Receptio, ac etiàm

Pro-

Professio nulla censeatur. Protestetur etiàm eisdem, quod si aliqva ex supradictis Conditionibus sibi defuerit, statim expellentur, & ad Professionem nullatenûs admittentur. Qvæ Protestationes in libro Noviciorum, â parte adnotentur, quas superior cum Discretis, & Novicio, (si scit scribere,) propriâ manu subscribere tenentur. Alio modo, ut præscribitur, quenqvam ad Ordinem suscipientes, vel supra dictas Conditiones non habentem ad Habitum Religionis admittentes, Superiores suis Officiis, Discreti verò activà & passivà voce priventur, uti contra bonum publicum gravitèr peccantes, ac Constitutionum Apostolicarum transgressores.

Valliſolet. 1593.

Sixtus V. Clemens & Vrban. VIII.

Forma Protestationis.

NOs infrascripti, Guardianus, & Discreti Conventûs N. Ordinis Minorum Sancti Franciſci Observantium, protestati sumus, ac denuò protestamur infrascripto Novicio, cui habitum Religionis nostræ concedere decrevimus, quòd si morbo gallico, Iepra, caduco, vel alià contagiosâ infirmitate laboraverit, & idipsum ante Professionem celaverit, ejus Receptio, vel etiàm Professio nulla censeatur. Item: Quòd si aliqua ex Conditionibus ad Religionis ingressum requisitis, & sibi intimatis, eidem defuerit, vel inhabilis ad Ordinem extiterit, statim expelletur, & ad Professionem non admittetur. Ita est. Die Mensis Anno

Fr. N. Guardianus, & Custos.

Fr. N. &c. &c.

VI. Recepti ad Novitiatum, antequàm Habitu induantur, probentur in obsequiis Culinæ, vel aliis humilioribus

Comp. Privileg. Sixti IV.

Clem. VIII. bus Exercitiis ad minus per sex dies, riteque disposiți generalem omnium peccatòrum Confessionem faciant, & priùs per Prælatum, vel ejus vices gerentem ab omnibus Censuris, & pœnis absolvantur in foro externo, & in irregularitatibus Authoritate Apostolicà dispensentur, ac nonnisi in Ecclesia ad majus Altare Habitum recipiant juxtà formam infrà positam. Quo autem Loco, Anno, & Die, quis Habitum susceperit, memoria fiat in Libro ad hujusmodi usum instituto, in Archivo Conventùs asservando, adnotato Nomine, cognomine, ætate, & Patria Novicii, adhibità etiàm subscriptione Superioris Loci, & Patris Magistri.

Forma Absolutionis Novicii ante susceptionem Habitûs.

ASpirans ad Ordinem, die, quo susceperus sit Habitum Sacrum, antequàm Sacramentaliter confiteatur, in Sacristia genuflexus coram Superiore dicat: Confiteor (vel si nescit, saltim pectoris tunsionem faciat, cum intentione recipiendæ generalissimæ absolutionis. Posteà Prælatus, vel ejus vicesgerens dicat:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgèntiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus Noster JESUS Christus te absolvat, & ego Authoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, mihi in hac parte commissâ, & tibi concessâ, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis, si quam incurristi, & restituo te unioni, & participationi fidelium, nec

nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ, dispensando tecum in omni sententiâ irregularitatis, (*si est Sacerdos*, suspensionis.) & interdicti, si quà innodatus fueris, & hoc in nomine Patris ✝ & Filii ✝ & Spiritûs ✝ sancti. Amen.

Poterit tamen Superior dare licentiam, (si per se nollet absolvere,) ut Aspirans â Confessario suo, in foro pœnitentiæ absolvatur â supradictis Censuris.

VII. Novicii bonorum suorum dispositionem, duobus, vel tribus mensibus ante Professionem faciant juxta Concilium Tridentinum: Quæ nonnisi post factam Professionem suum sortiatûr effectum; Nec sibi quidquam post Professionem ad disponendum', vel usum peculiarem relinquant, ne aliàs Proprietarii reddantur. Nemo Fratrum qvidqvam vel minimum â Noviciis, sive ante, sive post susceptionem Habitûs accipere audeat, sub Excommunicationis, & Proprietatii pœna. Si tamen Novicius aliquid liberè Conventui, sicut aliis pauperibus, per modum elëemosynæ dare; vel ut politicè mortuus legare voluerit, hæc nonnisi Professione modis licitis recipi possunt.

Sess. 26. c. 16.

Trident. Sess. 15. c. 16. Vallisolet. 1593. Nicol. III.

VIII. Nulli Noviciorum literas sine licentia scribere, aut cum Secularibus, etiàm Consanguineis, vel alterius Ordinis Religiosis loqui liceat, nisi gravi de causa, â Superiore, vel Magistro Noviciorum probatà, altero semper assistente. Novicius delinquens, & de his secundò, & tertiò monitus, si se non emendaverit, Habitu Religionis privetur, vel rigidè cöerceatur, Superioris & Discretorum arbitrio. Nec Professus Novicii, nec Novitius Professi cellam ingrediatur, sub pœna disciplinæ, & jejunii in pane & aqua. Quòd si secundò puniti idipsum commiserint, Novicius non deferens Professum, Habitu privetur, Professus per mensem carceri mancipetur, & confusibiliter, ex loco ejiciatur.

Polon. 1540.

Clem. VIII.

Vallisolet. ut suprà.

IX. Novicii

Salm. c. 2. IX. Novicii tempore probationis extra Conventùm non mittantur, nisi publicæ Processionis gratiâ, vel gravi interveniente causâ, Magistro associati Si ad petendam elëemosynam, urgente necessitate, eos mitti contigerit, nonnisi cum Religioso, ætate gravi, moribus probato mittantur, eâdem die ad Conventum regressuri, sub pœna privationis Officii, alio modo licentiantibus incurrenda. Proinde A. R. Pr. Minister, Fratribus Quæstuariis, in Noviciatuum Conventibus alios Fratres Professos pro Sociis providere tenetur, ne Novicii cogantur ad similia ordinari. Urgentissima qvâvis de causa ad servitia Infirmorum Novicii non deputentur. Nec permittantur studiis operam navare, sed Divinum Officium, Regulam, & alia eorum statui convenientia diligentèr addiscant. Nec ad Ordines etiàm minores ullatenùs admittantur, nec ad confessiones audiendas; si aliàs Sacerdotes fuerint, sintque Noviciatus à communi Professorum habitatione distincti, & occlusi, clavi penès Magistrum sempèr existente.

Innocent. X. Clem. VIII.

Vallisolet.

Salm. c. 2.

Vallisolet.

Vallis. 1593. Polon. 1640. X. Quovis quàdrimestri fiat Inquisitio de moribus, & vita, ac profectu Noviciorum per vota secreta, quæ omnes Patres, ac Fratres, â duobus saltim mensibus in loco de Familia manentes, ferre tenentur; Et si alicui major pars Suffragiorum defuerit, ipso facto ad sæculum dimittatur. Si verò vota fuerint æqualia, moneatur hac de re A. R. Pr. Minister, qui pro sua conscientiâ Noviciuni, vel manutenendum, vel rejiciendum declarabit. Superiores verò prouti & Magistri Noviciorum, Novicios nec nimiò laudare, nec insolitò vituperare audeant, nec extorsivè, aut imperative procedant in recipiendis suffragiis, & unâ calculorum contributione acceptà, ad aliam nullatenùs descendant, sed hæc libere dentur juxtà cujuscunque Fratris conscientiam.

Trident. Sess. 25. c. 18.

Con-

Contra facientes Superiores anathema á Sancta Synodo Tridentina incurrant, & Officio priventur. Easdem pœnas incurrunt, qui ad profitendum nolentes Novicios cogunt, vel ne ad sæculum aut aliam Religionem de Habitu exeant, impediunt. Ibidem.

XI. Novicii, qvi non expleto anno suâ sponte ad sæculum redierint, & iterùm ad Religionem recipi postulaverint, ac illi, qui in aliqua alia Religione probaverint, nonnisi diligenti, & gravi examine facto, ac de consensu expresso A. R. Patris Ministri recipiantur, & talibus sine solemnitate in Sacristia Habitus conferatur pro antiqua consuetudine. Polon. 1598. Ibidem. 1640.

Forma pro induendis Noviciis.

QVo die quis Religionis nostræ Habitum susceperturus est, absolutus â Censuris & præmissâ Confessione Sacramentali, de more religioso pro Clericis, vel Laicis tonsus, â Magistro Noviciorum post finitam Nonam ante prandium, ad Ecclesiam deducatur, & ante majus Altare in gradu inferiori genuflexus constituatur, ubi omnia huic actui necessaria sint præparata. Posteà Superior, aut alius Delegatus, superpelliceo ac Stolâ indutus, cum duobus Cantoribus pariter indutis, Stans in medio Altaris versâ facie ad Sacramentum infrascriptas dicat Orationes.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui à sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis, & qui renunciantibus sæculo,

mansiones paras in cœlis : dilata cor hujus famuli tui cœlestibus donis : ut fraternâ nobiscum teneatur Compagine charitatis : unanimis, constans, sobrius, simplex, & quietus, regularia sanctorum Patrum Instituta custodiat : & ad eum, quem, te inspirante, perfectionis spiritum concepit, te adjuvante perveniat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, Dux, Salus, & Fortitudo nostra, humiliter petimus, ut famulum tuum, quem sanctæ compunctionis ardore, ab hujus sæculi vanitate separasti, etiam à conversatione terrena discernas, & gratiam, quâ in te perseveret, infundas : ut protectionis, tuæ auxilio munitus, quod, te donante, affectat, te adjutore compleat : ut suæ conversionis executor effectus, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, feliciter pertingat. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde procedat Sacerdos ad cornu Epistolæ : & ibi stans, benedicat vestimenta, paulò ante à Sacrista in eodem cornu, super aliquo scabello, opportune, ac decenter præparata, dicens.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largi-

tatis

tatis abundantiam: ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium, abrenunciantes huic sæculo, ferre sanxerunt: ita bene † dicere, & sanctificare digneris, ut hic famulus tuus, qui sanctæ Religionis habitum, piæ devotionis affectu, assumere intendit: te intùs veraciter induere mereatur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Super Chordam, sive Cingulum.

Oremus.

DEus, qui, ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, bene † dic, quæsumus, cingulum istum, & præsta: ut famulus tuus, qui eo, velut ligamine pœnitentiali sui corporis cingetur; vinculorum ejusdem Domini nostri JESU Christi perpetuò memor existat: & in Ordine, quem assumit, perenniter perseveret, tuisque cum effectu semper obsequiis, se alligatum esse cognoscat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus dictis, aspergantur simul, & Juvenis, & vestimenta, aquâ benedictâ, sine incenso. Deinde auxiliantibus Ministris, exuatur Juvenis sæcularibus vestimentis à sacerdote, sive Superiore dicente:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. Amen.

Et illum posteà Religionis habitu induendo, ad singula vestimenta, dicat.

Ad Tunicam.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. ℟. Amen.

Ad Caputium.

Pone Domine Caputium salutis in capite ejus, ad expugnandas diabolicas fraudes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad Chordam.

Præcingat te Dominus cingulo puritatis, & extinguat in lumbis tuis humorem libidinis: ut maneat in te virtus continentiæ, & castitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo induto, porrigat sibi faculam accensam, dicens.

Accipe, Frater Charissime, lumen Christi, in signum immortalitatis tuæ: ut mortuus mundo, Deo vivas. Exurge â mortuis, & illuminabit te Christus. ℟. Amen.

Posteà vertat se Sacerdos ad Sacramentum. Et Novicio stante in suprascripto gradu, genuflexo, dicat clarâ voce.

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus, sperantem in te,
℣. Mitte Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

MAjestatem tuam Domine supplicitèr exoramus, ut famulum tuum, cui, de tua gratia præsumentes, nostræ Religionis habitum imposuimus: digneris inter discipulos tuos, virtute ex alto induere, justitiæ loricâ munire, & salutis protegere vestimento: ut intercedente beato Fran-

Franciſco Confeſſore tuo, ſub humilitatis veſte tibi perſeverantèr deſerviens, ad ſtolam immortalitàtis, & gloriæ, pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qui beato Petro Apoſtolo tuo ſignificans, quâ morte clarificaturus eſſet Deum, prædixiſti, per alium in ſenectute ipſum fore cingendum; famulum tuum Fratrem noſtrum, quem cingulo noſtræ fraternitatis præcinximus; tua quæſumus charitate præcinge: tui nominis metu ſalutari conſtringere; & chordâ cor ejus regulari alliga diſciplinæ: ut tuâ ei opitulante gratiâ, ſolutus & liberatus à mundo, tuoquè vinctus ſervitio, in Ordinis, quem aſſumit, obſervantia, usquè in finem jugitèr perſeveret. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui mira Crucis myſteria in beato Franciſco Confeſſore tuo multiformitèr demonſtraſti, da huic famulo tuo, ejus piæ devotionis ſemper exempla ſectari: & aſſiduâ ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Quibus dictis, Sacerdos in medio Altaris genua flectendo intonabit: Vèni Creator Spiritus; omnibus Fratribus de ſtallis ad medium Chori procedentibus, ac genu flexis, & paritèr alternatim cantantibus, completo Hymno; Cantòres ſequentes Verſus intonabunt.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt Hieruſalem.
℣. Poſt partum Virgo inviolata permaſiſti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Ora pro nobis, beate Pater Franciſce.

℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

eDinde Sacerdos cantet.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetuâ mentis, & corporis ſanitate gaudere; & glorioſa Beatæ Màriæ ſemper Virginis intercesſione à præſenti liberari triſtitia, & æternà perfrui lætitiâ.

DEus, qui Eccleſiam tuam, beati Franciſci meritis, fætu novæ prolis amplificas: tribue nobis, ex ejus imitatione, terrena deſpicere, & cæleſtium donorum ſemper participatione gaudere. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino. ℟. DEo gratias.

Poſteà Sacerdos, ſedens in ſella, ad cornu Epiſtolæ præparata, faciat brevem Sermonem ad Novicium flectentem, de Vanitate mundi, vel de perfectione vitæ Religioſæ. Quo finito, Nomen novum alicujus Sancti eidem imponat, ac det benedictionem adſtantibus, dicendo:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius. ✠ & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Ante-

Antequàm ab Altari Sacerdos discedat, det osculum Pacis Novicio, dicens: Pax tibi Frater. Quod suo ordine singuli Professi faciant post ipsum, priusquàm de Ecclesia egredientur.

De Sacra Professione.

I.

NUllus ad validè faciendam Professionem admitti potest, nisi post integrè completum Annum Probationis. Volentes autem profiteri, tertiâ die ante Professionem, terminum suæ probationis Communitati, coràm Superiore genuflexi denuntiabunt, Culpasque anno suæ probationis commissas humiliter recognoscent. Sequenti die similiter genuflexi proposita sua Orationibus Fratrum recommendabunt: Idem & tempore Orationis vespertinæ, singulos accedendo facient. Eodem die, Clerici de Catechismo, ac Regulæ Præceptorum numero, & differentia: de Rubricis Breviarii: de Psalmorum, & Hymnorum intonatione publice ad mensam Refectorii, examinentur; Laici verò de Articulis Fidei, & Præceptis Decalogi, De votis, & Præceptis Regulæ: de Catechismo pro Laicis edito, & obligationibus eorum eâdem solemnitate examinentur. Quæ si memoriter quis nescierit, tamdiu ejus differatur Professio, quoàdusque eadem didicerit. Trident. Sess. 25. c. 9. Polon. 1597.

II. Eâdem die, quâ de supradictis examinantur Novicii, dentur vota, & suffragia proiisdem, qui majorem partem Calculorum sibi suffragantium non habuerit, Religionis habitu exnunc privetur. Tandem die Professionis confessi, ac Sacrâ Communione refecti, constanti animo in proposito perseverantes, petent tertiò admitti ad Sacram Professionem, Polon. Antiq.

nem, quæ fiat in Ecclesia, juxtà formam infrà positam. Novos Professos Magister deducet ad Refectorium initio prandii, ubi coram Superiore genuflexi pro accepto beneficio gratias agent. Superior verò, ut sint memores votorum, admonebit, & diem Professionis in libro adnotatum subscribet, unà cum duobus Discretis, ut cùm aliquâ de causa Noviciatum transferre contigerit, idem liber, & memoria Noviciorum, & Professorum etiàm transferatur, in quo pariter Suffragia recepta exprimentur.

Polon. 1626. III. Obviando multis abusibus, & inconvenientiis, inhibetur omnibus & singulis Patribus, ac Fratribus, ne audeant sua cognomina, ea videlicet, quæ semel in Metrica admissionis ad Habitum, & Professionis adnotata fuerunt, cum tempore mutare, vel Nobilium Personarum, (si aliàs in sæculo talibus non utebantur,) sibi appropriare denominationes, sub privatione vocis activæ & passivæ, Patribus, Laicis verò pœnâ carceris per mensem, & ad eadem cognomina, quæ olim habuerunt, degradatione.

Forma recipiendi Novicios ad Sacram Professionem.

PRæmissis de Jure præmittendis, post dictam Nonam in Choro ante prandium, & finito integro anno probationis, Novicius confessus, & sacrà Communione refectus, ad Altare majus deducetur â Magistro, omnibus Fratribus ibidem in Ecclesia congregatis, & assistentibus: Quo genuflexo, Superior, vel alius, cui id delegatur, superpelliceo, ac stolâ indutus, cum duobus Cantoribus, procedat ad majus Altare, ubi factâ adoratione, Sellæ ad hoc præparatæ in cornu Epistolæ insidens, Novicium primò, secundò,

dò, & tertiò interroget, an velit profiteri, & servare Regulam, toto vitæ suæ tempore; Quo affirmativè respondente, faciat brevem sermonem de gravitate, pietate, & magnitudine actionis illius, de laudibus vitæ Religiosæ, vel quid simile. Quo finito, Sacerdos surgens de sella, & genuflexus ante medium Altaris, solus clarâ voce intonare incipiat: Veni Creator Spiritus &c. & alternantibus Choris finito Hymno, Superior dicat:

℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Superior iterùm sedeat; moxque Novicius ante pedes ejus genuflexus, positis manibus suis inter manus ipsum ad Professionem admittentis, & recipientis, clarâ, & intelligibili voce, dicat hæc verba: vel à Superiore primùm dicta, ipse eadem rectè, ac ordine repetat: vel etiam de scripto legat, prout opportuniùs videbitur.

Forma Professionis, in ordine Fratrum Minorum solemnitèr emittendæ.

EGo Frater N. N. voveo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Francisco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ servare

Biblioteka Uniwersytecka w Toruniu

ſervare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.

Recipiens verò ad Profeſſionem, ei dicat:

Et ego ex parte Dei, ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam. Amen.

Polonicè pro Fratribus Converſis.

JA Brat N. N. ſlubuię, y obiecuię Bogu Wſzechmogacemu, Nayſwiętſzey Pannie Maryey, Blogoſlawionemu Franciſzkowi, wſzytkim Swiętym, y tobie Oycze, przez caly czas zycia mego, zachowac Regulę Braciey Mnieyſzey, przez Swiętego Papieza Honoryuſza potwierdzona, zyiac w poſluſzenſtwie, bez wlaſnosci, y w czyſtosci.

Recipiens verò ad Profeſſionem, ei dicat:

A ia imieniem Boskim, iezeli to zachowasz, obiecuięc zywot wieczny. Amen.

Quibus dictis, ſtatim Cantores cantabunt in ſexto tono Pſalmum: Ecce, quàm bonum, & quam jucundum &c. Et interim Superior amovebit, & diſſuet â Novitii Caputio probationis ſignum. Finito Pſalmo, Cantores canant ſequentem Verſiculum.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.

Deindè Sacerdos dicat ſequentes Orationes.

Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Deus

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quiqve mundum peccatis inveteratum, per mysterium Incarnationis ejus, renovare dignatus es: te supplices exoramus, ut super hunc famulum tuum, Fratrem nostrum N. qvi hodie in hoc sancto templo tuo vanitatem mundi, & pompas diaboli, per nostræ servitutis ministerium, voto solemni abrenunciare decrevit: ita respicere digneris, ut spiritu mentis suæ renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuere, & novum, qvi secundùm Deum creatus est, induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, qvi es via, sine qva nemo vadit ad Patrem, qvæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum â carnalibus desideriis abstractum, per arctam, ac tutam regularis disciplinæ viam deducas; & qvi peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qvi laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; præsta: ut hæc vox vocationis tuæ, ita in eo convalescat; quatenùs onera peccatorum deponens, & qvàm dulcis es, degustans, tuâ refectione sustentari mereatur. Qvi vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SAncte Spiritus, qvi te Deum, ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis abundantiam supplicitèr exoramus, ut sicut, ubi vis, spiras; ita & huic famulo tuo Fratri nostro N. affectum piæ devotionis inspires: & qvi tuâ sapientiâ est conditus, tuâ qvoqve providentiâ gubernetur: qvem etiam unctio tua de omni-

bus doceat: & per intercesſionem Beatæ Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, Beati Patris noſtri Sancti Franciſci, ac Beati N. & omnium Sanctorum, fac eum à ſæculi vanitate ità veracitèr converti, ut, quod hodie, te inſpirante inchoat, ſic juſtè, piè, ac ſanctè per veram humilitatem, & obedientiam, fraternâ charitate fundatus, te adjuvante, perficiat, ut in ſancto Religionis propoſito jugitèr perſeverans, ad vitam perveniat ſempiternam. Qvi cum Deo Patre, & Filio ejus, Domino noſtro JEſu Chriſto, vivis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Qvibus finitis, cantetur: Te Deum laudamus, incipientibus Cantoribus, infra qvem Hymnum, incipiendo à Superiore, omnes ſuo ordine per unum & unum dabunt oſculum pacis novello Fratri Profeſſo, & ad ſua loca in medio Chori ſe conferent ad finiendum Hymnum. Deinde Cantores ſeqventes Verſus cantabunt.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.
℣. Poſt partum Virgo, inviolata permanſiſti.
℟. DEi Genitrix intercede pro nobis.
℣. Ora pro nobis, beate Pater Franciſce.
℟. Ut digni efficiamur promisſionibus Chriſti.

Deinde Sacerdos dicat, ſive cantet ſequentes Orationes.

Oremus.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti: qvæ & corda noſtra clementèr expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Concede

Concede nos famulos tuos, ¡qvæsumus Domine DEus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, â præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

DEus, qvi Ecclesiam tuam, beati Franciſci meritis, fœtu vovæ prolis amplificas, tribue nobis, ex ejus imitatione, terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum JEsum Christum, Filium tuum, qvi tecum vivit, & regnat. &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Cantores.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo Gratias.

Posteà Superior & Professum, & astantes benedicat, dicens.

Benedicat vos omnipotens DEus, Pater, & Filius, ✠ & Spiritus sanctus. ℟. Amen.

De Novellis Professis.

I.

FRatres Neo-Professi, inquantum fieri potest, non statim post Professionem ex loco Noviciatûs moveantur, sed Magistro Noviciorum in omnibus subsint, ut eò diligentiùs in mortificationibus, & pœnitentiis simùl cum Noviciis exerceantur. Seminaria Clericorum in Casimirienſi pro Posnanienſi, in Prasnenſi Conventu pro Varsavienſi Custodia ab antiqvo instituta manuteneantur, & charitativè foveantur pro Novellis Professis, qvi ad Philosophiam hic & nunc promoveri non possunt, ne in locis particu- Polon. 1618. Trident. Sess. 23. c. 18. laribus

ribus corrumpantur; Magister ipsorum à Diffinitorio assignetur, qui simùl sit & Vicarius loci, sedatus Vir, Religiosus, in Cantu & Musica peritus, ut Juvenes in similibus
Vallisolet. instruere possit. Studium hoc recusantes, pœnis arbitrariis
1593. compellantur, & ad Sacros Ordines non promoveantur.

II. In Studiis paritèr Philosophicis eadem Clericorum Seminaria existant, quorum Magister sit primus Lector, eosdemqve ultrà Scientiam Speculativam, in Cantu, vita
Polon. 1640. Spirituali, ac Religiosis moribus instruat; Circulumqve qvotidiè habeat post collationem pro ejusmodi exercitiis peragendis. Non tamen Confessiones suorum Studentium excipiat, sed hoc munus obeat Pater Vicarius Loci. Prædictorum Seminariorum Magistri habent potestatem reprehendendi, instruendi, & charitativè corripiendi suos discipulos, Cellas illorum visitandi, superflua tollendi, & in omnibus, qvæ ipsorum Officium concernunt, moderandi.
Ibidem. Qvos hortamur in Domino, ut Novello Ordinis Gregi di-
1581. ligentèr invigilent, vitâ, & moribus præluceant; Conventicula, & Sessiones cöerceant; In silentio, patientia, humilitate, modestiâ, ac Regulari disciplinà Juventutem sibi commissam manuteneant. Contrà facientes noverint, se DEo & Provinciæ strictam rationem reddituros.

Polon. III. Discoli, Idiotæ, rebelles, ac Scandalosi ad Sacros Ordines non promoveantur, & omnes alii, nisi de expressa A. R. Patris Ministri licentia, ac prævio examine, mittantur. Quod examen committitur Patribus Lectoribus tàm Philosophiæ, qvàm Theologiæ ac Patribus graduatis respe-
Clem. VIII. ctivè, qvoad illos Conventus, de qvibus, & ad quos venerint ordinandi; Qvi examinentur de testimonio probitatis morum à Patribus Discretis sui Conventûs sibi dato,

ac

ac facultate, A. R. Patris Ministri. 2. De ætate per Concilium Tridentinum requisita. 3. De Confirmatione, & Ordinibus, si qvos habuerunt. 4. An habiles corpore, & mente habeantur. 5. De Scientia ad singulos Ordines reqvisita. Ad Sacerdotium, nonnisi qvinqvennio in Religione expleto, promoveantur, qvi sunt sufficientèr literati, in Casibus Conscientiæ, Rubricis, ac Cantu benè instructi, nisi legitima causa accelerandæ promotionis à R. P. Ministro approbata fuerit. Roman. Vallisolet

IV. Pro laudabili, & utili Provinciæ consvetudine Fratres Clerici, Item, Studiosi Philosophiæ, ac Theologiæ, nec non Sacerdotes Novelli, & alii, qvi decimum annum in Religione non compleverunt, diebus Festivis in Refectorio prædicent, & in Tabula Officiorum juxtà suum Ordinem scribantur. Clerici prædicare nolentes, pœnâ disciplinæ, & Caparonis frangantur, nec ad Ordines promoveantur; Sacerdotes verò Sessione in terra, & jejunio in pane, & aqua ad prædicandum compellantur. In his Exercitiis abstineant ab invectivis contra Superiores, & alios Patres, sub pensione disciplinæ, ac fræni lignei. Polon. 1529.

De Vestimentis Fratrum.

I.

HAbitus Fratrum sit uniformis ex panno coloris cinericei. Proindè Pannificinæ ad hunc finem ab antiqvo institutæ, nimirùm in Costensi, Cobilinensi, Cosminensi, Grodicensi, & Varthemburgensi Conventibus conserventur, ad qvas Fratres in hac arte periti à R. P. Ministro destinentur, qvibus pro adminiculo laboris, ac instructione alius Frater junior, & aptior addatur. Lanam, aliaqve necessaria Vict or. 1694.

saria Provisores per mendicationem, & Superiores per Amicos spirituales provideant, sub privatione Officii. Voluminum panni longitudo sit triginta trium, latitudo verò semiduarum ulnarum justarum, sub pœna restitutionis panni ad justam mensuram deficientis.

Polon. 1640. II. Habitûs Forma hæc sit, ut longitudo Superiorem partem pedis, latitudo verò novem ulnas non excedat; Latitudo Caputii non extendatur ultrà juncturas humerorum, à tergo chordam non excedat, Manicarum latitudo sit unius palmi, longitudo verò primam juncturam manûs non excedat, Tunicellæ sint restrictiores, & habitu breviores medio palmo, qvæ nunqvàm dentur ex alia materia, nisi ex panno cordelato, vel grosso, sed benè compacto, & sint colore Habitui accommodæ, sub pœna arbitraria. Habitus veteres, Pallia, & Chordæ, (relictis aliqvòt pro necessitatibus Conventûs,) tempestivè ad Noviciatus transmittantur; Superiores contravenientes Officio priventur. Qvi verò, accepto novo vestimento, antiqvum reddere noluerit uti proprietarius puniatur. Eandem pœnam incurrat Superior, qvi loco vestimenti pecuniam Subdito dederit.

Nicol. III. Clem. V. III. Unusqvisqve Fratrum uno habitu, & tunicellà juxtà Regulam contentus esse debet, ultrà pallium. Alteram tunicellam pro mutanda, Superiores Locorum concedere possunt suis Subditis; prouti pelliceos simplices arietinos, tempore hyemis, non tamen infra genua protensos, vel aliqvo operimento superveſtitos. Pectoralia totiès per Statuta eliminata, vulgo Kafftanii, cujuscunqve materiæ, & formæ fuerint; Item, Sudaria linea, (infirmis, & actu decumbentibus exceptis,) omninò prohibentur, sub pœna proprietatis. Tunicellæ laneis, & lineis filis intextæ, dictæ

Urban VIII.

dictæ Cilicia, interdicuntur, sub pœna privationis eorum, & disciplinæ. Hæc omnia A. R. Pater Minister in Canonica Visitatione, & Superiores Locales in Visitatione Cellarum exterminare obligantur, multò minùs talia Subditis concedere valent, nisi sint infirmi, aut valetudinarii, & corpulenti, qvibus Cilicia supradicta concedi possunt à Superioribus. Innoc. XI. & Innoc. XII.

IV. Omnes calepodiis utantur & nudis pedibus incedant, infirmi tamèn & senes de Superioris assensu, crepidis, & sandaliis uti possunt. Aliis qvoqve Fratribus, tempore intensi frigoris, socculi non denegentur, qvos tamen egressuri ad Civitatem deponant, sub pœna appensionis eorum in collo. Calepodiorum altitudo, quatuor digitorum altitudinem non superet: Corrigiæ sint simplices, non curiosæ. Chorda itidèm rudis, non nimis alba, absqve ulla curiositate, sub pœna disciplinæ usqve ad reformationem prædictorum. Nemo biretino, seu pileolo rotundo, maximè in loco publico & communi utatur, sub privatione suffragiorum per annum. Polon. Antiq.

V. Nullus sine habitu in Refectorio comparere, aut per Claustri ambitum, vel Dormitorium, sive per Aream discurrere præsumat, sub pœna disciplinæ pro prima vice, pro secunda verò, jejunii in pane, & aquâ, vel aliâ graviori. Volumus autem, ut in Habitu & Chorda Fratres dormiant; Infirmioribus, ac provectioris ætatis conceditur aliud Caputium ultra Caputium assutum habitui; qvi Tunicellâ, ac chordâ ad dormiendum licitè uti possunt, de Superioris tamèn licentia. Si qvis ex vestimentis sibi concessis aliqvid extrà dederit, ut proprietarius puniatur; Qvi verò amiserit ex negligentia, vel ex malitia destruxerit, culpam recognoscat, & ad arbitrium Superioris eidem pœnitentia imponatur. Polon. 1640.

De Tonsura Fratrum.

I.

FRatres semèl intra duas septimanas radantur domi, & non apud sæculares, sub pœna disciplinæ. Corona trium digitorum latitudinem non excedat; Laicis verò circulus in rotundum, uno digito super aures, ducatur. Errores in rasura commissi publicè in loco culpæ corrigantur; Tonsores verò culpentur. Fratres Sartores, & alii Fratres, ac Patres Juniores omninò radere discant; Nolentes disciplinâ, & jejunio in pane, & aqvâ, compellantur, ut tonstrinæ Sæcularium, (qvæ sine detrimento Conventuum, & honestatis Religiosæ dedecore fieri neqveunt,) a Conventibus eliminentur. Superiores pro bono communi necessaria provideant.

Polon. Antiq.

Vallisolet.

II. Honestas Religiosa in tonsura ab omnibus servetur, caveantqve â minima qvâvis denudatione, & ab omni garrulosa levitate, sub pœna disciplinæ, & alia graviori delinqventibus, vel delinquentes Superiori non deferentibus infligenda; Qvâ etiam puniantur, qvi barbam sine Corona radere, vel crines ex Laicis more sæcularium oblongiùs sibi tondere permittunt.

CAPVT III.

De Divino Officio, & Jejunio, Silentio, & Mensa Frātrum, de Eqvitatione, & qvomodo debeant ire per mundum.

I.

Salmant. Vallisolet.

SAcrosanctum Missæ Sacrificium conformitèr ad Rubricās novi Missalis â qvovis Sacerdote peragatur clarè, brevi-

ter

ter, & devote, cum reqvisitis ceremoniis. Proinde bis in Anno Missæ siccæ in Refectorio peragantur, qvibus præsideat Superior Loci, vel gravior Pater, & Ceremoniarum gnarus. Sacerdotes, qvi de erroribus Missæ, aut superstitiosis devotionibus admoniti, non se emendaverint, Officia Clericorum subeant, cujuscunqve sint Statûs, & conditionis. Missa Conventualis de Die pro vivis, & defunctis Fundatoribus, Fratribus, & Benefactoribus singulorum Conventuum respectivè applicanda cantetur, vel legatur, & nullâ die prætermittatur: Cui omnes Fratres Clerici, & Laici interstint sub pœna disciplinæ. Roman. 1593. Polon. 1549.

II. Votiva de Immaculata Conceptione qvòvis Sabbatho, (diebus festis ad populum, ac primæ, & secundæ Classis exceptis,) solemniter decantetur pro felici successu, & incremento hujus Provinciæ, cui omnes, & singuli Patres, ac Fratres interstint, sub pœna disciplinæ. Illis verò diebus, quibus cantari non potest, lecta ad eandem intentionem absolvatur vel sequenti die decantetur. Quâlibet Feriâ Secundâ, Festo solemni non impeditâ, cantetur Missa de Reqviem pro Benefactoribus, vel qui pia Legata ad pios usus reliquerunt, vel indies elëemosynas pro Fratrum necessitatibus elargiebantur, uti & Fratribus, potissimùm hujus Provinciæ defunctis. Aliis verò diebus, Missæ Confraternitatum, S. Annæ, S. Francisci, & S. Antonii, sive aliæ ad intentionem Benefactorum, & dispositionem Superiorum Locallium per Septimanam decantentur à Fratribus, ad pulpitum more Religioso, non verò ad Organa per Sæcularem, sive Fratrem Organarium. Poterit tamen unâ die, potissimùm Feriâ Quintâ, & maxime ubi sunt Studia, pausatio â Missa cantata fieri. Polon. 1540. Polon. 1726.

III. Missæ pro septimana Sacerdotibus absolvendæ distribuantur pro ratione onerum, & obligationum Conven-

tûs, ità tamen, quòd ultra quinqve non dentur. Quoties Missæ, sive de die, (ut in Festis primæ, & secundæ Classis)
Ibidem. sive ex Confraternitatibus decantari debent, ob conformitatem ubiqve servandam, & Studentium commoditatem, semper post Primam cantentur, nisi diebus plenariæ Indulgentiæ, & Processionis cum Venerabili, ob concursum populi eas sub tempus primæ Missæ cantari contingerit. Diebus autem Dominicis, & Festis ad populum, horâ solitâ post Tertiam decantentur. Pro satisfactione Benefactorum Celebratio Missarum usqve ad meridiem protendatur, scribanturqve in Tabula Officiorum duo Patres pro secundo, & ultimo Sacro, tempore hyemis: de æstate verò tres, pro secundo, Tertio, & ultimo, ita, qvod ultimum, & tempore Primæ secundum, sive tertium Sacrum semper ad majus Altare absolvatur.

IV. Divinum Officium ad præscriptum Breviarii ultimò
Roman. 1625. reformati, graviter, modeste, & voce sonorosâ, non tamen clamorosâ, cum debita pausa, die, noctuqve peragatur sub pœna arbitraria pro ratione delicti. Omnes ad Divinum Officium Diurnum, ac Nocturnum tempestive, audito primo pulsu, corda Domino præparaturi conveniant, & nonnisi finito egrediantur; Tarde venientes, & ante tempus egredientes causam Superiori denuntient, defectuosi arbitrio Su-
Salmant. c. 3. perioris puniantur. Qvi se à Matutino absentaverit, pro prima vice culpam recognoscat, & genuflexus, quinqve Pater, & Ave, expansis manibus dicat; Recidivo etiàm disciplina adjungatur; tertiò deficiens, in pane & aqua jejunabit, sub tempus refectionis in terra genuflexus. Has pœnas subeant, qui aliis horis, præsertim vespertinis, non in-
Vallisolet. 15. 3. terfuerint. Superiores Locales, qvi sancitas pœnas, absque legitima causa se à Divinis absentantibus non injunxerint,

rint, easdem ſubeant & Officiis priventur, A. R. P. Miniſtri arbitrio.

V. Nullus prætextu cujuscunqve Privilegii, Dignitatis, & Superioratûs, â Servitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis proprii Officii munere, actu fuerit occupatus, ex Decreto Clementis, & Vrbani VIII. ac Benedicti XIII. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, iis diebus, qvibus actu legunt, & prædicant: Item, cum ægrotis, & Studiorum, vel alterius negotii publici causâ probatâ legitimè impeditis, Superiores diſpenſare poſſunt. Et ut â Majoribus Domino famulari Minores exemplum accipiant, hortamur omnes graduatos, vel qvâcunqve dignitate, præcellentes Patres, ut bono Exemplo aliis prælucere ſatagant, aliàs pœnas in conſtitûtionibus Apoſtolicis ſancitas, ſe noverint incurſuros. Clem. VIII. Vrban. VIII. Benedict. XIII.

VI. Fratres Laici Divinis Officiis intereſſe tenentur, diebus qvidem Feſtis, omnibus Horis canonicis, Miſſæ cantatæ, & Concioni, qvi non ſunt legitimè de ſcitu Superioris impediti. Aliis verò diebus, Matutino, (ad cujus initium, & Benedictus, coràm majori Altari ſe præſentent,) Miſſæ Conventuali, Meditationi, Coronæ, Veſperis, & Litaniis poſt Completorium, ac ad ſerviendum Sacrificio Miſſæ, audito ſigno, præſtò adſint, ſub pœna diſciplinæ, & jejunii in pane, & aqva. Pro laudabili Provinciæ conſvetudine, Fratres Clerici, & Laici bis infra ſeptimanam confiteantur, & Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, ac celebribus, uti & Dominicis diebus, Sacram Communionem ſumant, & Reconciliationi ante Primam fieri ſolitæ adſint, ſub pœna diſciplinæ, & privationis ferculi primarii, pro ratione culpæ. Polon. 1525. Ibidem 1597.

VII. Matutinum in Feſto Natalis Domini, quoad primum Nocturnum, Homilias, & Laudes: & in Feſto Paſcha- Polon. 1640.

tis, totum cum apparatu decantetur. In aliis verò Festivitatibus primæ, & secundæ Classis, sine apparatu qvidèm Matutinum absolvatur, sed nona Lectio, Te DEum Laudamus, & Laudes â Capitulo decantentur; exceptâ Solemnitate Pentecostes, Portiunculæ, & Sancti Patris Francisci, in quibus Laudes exintegro cantari debent; Aliis verò Duplicibus diebus, solùm Te DEum laudamus. In omnibus Festivitatibus Sabbaoth, ac solemnioribus Beatæ Virginis MARIÆ, nec non Patronorum Ordinis principalioribus, Prima, Tertia, Vesperæ, ac Completorium cantentur; Aliis verò Festis ad populum; ac Dominicis diebus, prouti & Duplicibus, præter Primam, & Tertiam respectivè, Vesperæ cantentur, sub pœna arbitraria.

Polon. Antiq. & 1717. VIII. QVoties fit Expositio Sanctissimi Sacràmenti, Candelæ proximiores, ultrà sex alias in Altari positas, sint omninò de Cera, aliæ de sævo, ob penuriam ultrà prædictas permittuntur. Ad omnes Horas Cànonicas duæ Candelæ ad majus Altare accendantur. Lampas verò continuò die, noctuqve ardeat, sub pœna privationis Officii, Guardianis prædicta non subministrantibus. In Missis cantatis ad illa verba Symboli: Descendit de cœlis, usqve ad Et resurrexit.

Polon. 1683. Item. In Vesperis de Beata ad Hymnum: Ave maris Stella, (in quo cantari debet Versus: Monstra te esse Matrem) omnes de Stallis exeant, & in medio Chori genuflectant, quod servandum est etiàm ad Elevationem, & ad Sub tuum præsidium post Votivam de Immaculata Conceptione, ad Altare Beatissimæ decantandum. Vesperæ in singulis Conventibus seorsivè â Complectorio persolvantur, pro qvibus pulsetur horâ mediâ secundâ; pro Completorio verò mediâ quartâ pomeridianâ. Diebus tamen Dominicis, Festis ad Populum, primæ, ac secundæ Classis, utræqve Vesperæ, horâ tertiâ, simul cum Completorio peragantur.

IX. Officium

IX. Officium parvum Beatæ Virginis MARIÆ unusqvisqve ex memorabili Provinciæ consuetudine singulis diebus privatim absolvere tenetur. Novicii verò, Clerici Professi, Sacerdotes, & Confessores, aliis negotiis non impediti, illud choraliter persolvant in Ecclesia post Recollectionem à Die tertia Maji, usqve ad Exaltationem Sanctæ Crucis: tempore verò hyemali in Refectorio, qvoad Matutinum, & Laudes, reliquas verò Horas, tempore, & loco solito dicant, dimissiori voce, exceptis diebus ferialibus, qvibus totum in Ecclesia cum Horis Canonicis recitetur. Officium Defunctorum, Psalmi Pœnitentiales, & Graduales, diebus Feriis dicendi, prîdiè post Completorium persolvantur. Psalmi: DEus misereatur &c. & De profundis cum suis Versibus, & Oratione, Secundâ, Quartâ, & Sextâ Feria pro Benefactoribus nunquàm post Complectorium omittantur, quibus omnes Fratres Laici adsint, sub pœna disciplinæ. Antiphona: Stella cœli, & Litaniæ de Beata, quotidie post suffragia ad finem Completorii, dicantur cum suis Orationibus. Polon. Antiq.

X. Vbi de morte alicùjus Fratris Provinciæ nostræ Professi, vel incorporati, aut Tertiarii Professi pariter, & sub obedientia Superiorum manentis, constiterit; Officium Defunctorum qvoad unum Nocturnum, & Laudes, cum Missa decantetur, & ultrà hoc, totum Officium Defunctorum tempore Coronæ planè persolvatur, ac quilibet Sacerdos Missam privatam legere, Clerici totum Officium Defunctorum, Laici centum Pater, & Ave, pro anima Defuncti dicere tenentur. Pro Superioribus Generalibus, Protectore, Patribus Provinciæ, ac Ministris prædicta in qvolibet Conventu triplicentur. Ubi verò Frater moritur, triceſima à Superiore Locali detur ad absolvendum quantocyûs, & suffragia consveta pariter triplicentur: Anniversarium qvoqve Polon. Antiq. Vallisolet. 1593.

cum Missa cantata peragatur in eodem Conventu, ac Cursoria triplici tractu per Conventus mittatur, absque ulla ejusdem in remittendo retardatione.

Ibidem. XI. Unusqvisqve Ecclesiam ingressus, humilitèr cum debita reverentia, flexis genibus adoret Sanctissimum Sacramentum, & oret: Adoramus te Christe, vel qvid simile; Hoc idem faciant egressuri: sub pœna exosculationis pedum omnium Fratrum. In Choro, ac Ecclesia caveant Fratres â colloqviis, risu, vagis aspèctibus, & quàvis minima levitatè, sed religiosè, & modestè se gerant, uniformitatemqve servent in cantu, genuflexionibus, ac inclinationibus, sub pôena disciplinæ. Ob errorem commissum, nemo Chorum turbare præsumat, sed humilitèr, & submisse Superiori, vel ejus Vicario error intimetur. Errores, sive per Omissionem, sive per aliqvam Officii variationem commissos tàm Sacerdotes, quàm Clerici ad mensam Refectorii corrigant, omissa, vel variata legant, aut cantent, & culpam recognoscant.

De jejunio & Silentio.

I.

Vallisolet. JEjunia ex præcepto Ecclesiæ, ac Regulæ, domi, & foris inviolabiliter serventur. Diebus autem Jejuniorum ex devotione, potissimùm in Rogationibus, ac Vigiliis de Beata, conforment se Fratres communi Fidelium consuetudini, â carnibus abstinendo, sive â lacticiniis, excepto Districtu Polon. 1614. Varmiensi, ubi ob olei caristiam lacticinia etiàm tempore Qvadragesimæ permittuntur.

Ad jejunandam Benedictam Fratres non cogantur, sed exhortentur. Illis, qvi voluntarie eam jejunant, Superiores charitatem exhibeant, ut unà cum ipsis Benedictionem con-

Toruniu

conſeqvantur, prouti & illis, qvi Sancti Patris exemplo, Sanctisſimi Spiritus, ſivè Aſſumptæ, aut Sancti Michäelis Quadrageſimam jejunare voluerint; Superiores contrà facientes gravitèr puniantur. Antiq.

II. Pro conſvetudine Provinciæ, Vigilia Pentecoſtes cum ſeqventibus Qvatuor Temporibus in cibo Quadrageſimali: Vigilia autem Portiunculæ, Aſſumptæ, Sancti Patris Franciſci, & Feria Sexta Paraſceves, ab omnibus in ſiccis jejunentur. Jejunia verò privata in ſiccis omninò tolluntur, nec qvidquam pro eis in culina paretur, ſub pòena diſciplinæ Fratri Coco, & Jejunanti infligenda; Nec talibus fercula extrà præparata concedant Superiores, ſub pôena arbitraria, præter panem, & cereviſiam. Qui diebus Jejunii ex præcepto Eccleſiæ, ac Regulæ carnes comedere non horruerit, convictus carceri per ſèptimanam includatur, & tribus diebus in pane & aqva jejunet; Qvi verò lacticinia ſumpſerit, abſqve expreſſa Superioris licentia, ad menſam Refectorii diſciplinam faciat, & in pane, & aqua jejunet. Hac lege non ligantur infirmi, aut valetudinarii, qvibus ex conſilio Medicorum Carnes, vel lacticinia dari poſſunt, de expreſſa tamen Superioris licentia, qvæ tamen de facili non concedatur, maximè qvoad eſum carnium. Salmant. c. 5. Polon. 1640.

III. Sub tempus Jejunii Omnium Sanctorum, Benedictæ, & Quadrageſimæ, præter dies Dominicos, Tertiâ, & Qvintâ Feriis, Collatio aliquantùm lautior cum una portione de piſcibus conceditur, uti & in Feſto S. Martini, S. Catharinæ, in Die Sapientiæ, ac Vigilia Nativitatis, aliis verò diebus prouti Sextis Feriis per Annum, Qvatuor Temporibus, vel Vigiliis, nihil coctum pro collatione apponatur. Forenſibus tamen, ſi indiguerint, prouti & Lectoribus, Polon. 1726.

bus, ac Prædicatoribus, diebus, qvibus actu legunt, vel prædicant, unum ferculum pro collatione de piſcibus ad vires refocillandas concedi poteſt. Die Natalis Domini, ſi Sextà Feriâ occurrerit, Fratres ex Regula jejunare tenentur, & cibis Quadrageſimalibus uti, tàm domi, qvàm extra Conventum, ex Declaratione Sacræ Congregationis. Secùs de Sabbatho dicendum, ſi eodem die idem Feſtum occurrat, qvia tunc ſtandum eſt Univerſalis Eccleſiæ conſvetudini.

Forma Benedictionis, jejunantibus Sanctam Quadrageſimam impertiendæ.

Die 16. Februarii, qvo Jejunantibus Quadrageſimam poſt Epiphaniam elargitur benedictio, congregatis Fratribus ad prandium, & peractâ conſveta Recollectione ad menſam, priusqvàm dicatur Pſalmus: De profundis. Superior ſedens in loco ſuo, vocat benedicendos ad locum culpæ, his verbis: Venite benedicti Patris noſtri, humilitate vos ad Benedictionem. Ipſi verò genuflexi petant humilitèr eandem benedictionem; Qvibus Superior poſteà gratias agit pro completa mortificatione, & bono exemplo exhibito. Deinde ſurgit, ſeqventem eisdem dando benedictionem.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qvi fecit cœlum, & terram.
℣. Sit nomèn Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & uſqve in ſæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

DOmine ſancte Pater, omnipotens ſempiterne DEus, qvi corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia, per merita, & ſacra beati Patris noſtri Franciſci jejunia: qvi imitatoribus ſuis, Sanctam Qvadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania Domini uſqve ad continuos qvadraginta dies, voluntariè jejunantibus, tuam uberem benedictionem promiſit, qvam Dominus noſter JEſus Chriſtus, Filius tuus, ſuo quoqve ſancto jejunio conſecravit, & confirmavit: bene ✠ dicere digneris tuâ ingenti benedictione, per noſtræ humilitatis ſervitutem, huic hæreditati tuæ, qvam per obſervantiam ſanctæ, & benedictæ Quadrageſimæ tibi purificaſti, & ſanctificaſti; multiplica ſuper eos miſericordiam tuam, & infunde cordibus eorum Religionis ſanctæ profeſſæ augmentum, ut te ſuper omnia diligentes, Tibi ſoli Deo, puro corde, & mundo corpore, omnibus diebus vitæ ſuæ irreprehenſibiliter, ſanctorum Patrum exempla ſectantes, ſervire valeant, & tandem repleti omni benedictione, hic, & in cœleſtibus, ad tui Regni gloriam cum omnibus Sanctis pervenire mereantur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et benedictione perpetuâ benedicat ✠ vos Sancta Trinitas, & indiviſa Vnitas, beatâ & immaculata ✠ Virgo Maria, & beatiſſimus Pater noſter Seraphicus ✠ Franciſcus, & tota cœleſtis Curia, In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritûs ✠ ſancti. ℟. Amen.

Deinde dicit: & hi Fratres vocentur hac die Benedicti.

Polon. 1726.

IV. Silentium in Eccleſia, Sacriſtia, Refectorio, ac Dormitorio ab omnibus ſervetur, pro qvo pulſetur tempore æſtivo, videlicèt, â Feſto Inventionis Sanctæ Crucis, ad Feſtum Sancti Bartholomæi, horâ mediâ octavâ, abhinc tempore hyemali, horâ elapſâ poſt Cœnam, ſive Collationem. Seſſiones, & confabulationes poſt Signum datum pro ſilentio, per Superiores Locorum, & A. R. Patrem Miniſtrum arceantur, & tàm in capite, qvâm in membris gravitèr puniantur. Qui fregerit ſilentium, aut Cellam alterius ingreſſus fuerit, pro prima vice, diſciplinam faciat. Recidivanti frœnum ligneum adjungatur. Qui verò incorrigibilis extiterit, & alios turbaverit, in domo diſciplinæ per ſeptimanam includatur, & jejunio maceretur. Poterit tamen Superior juſtâ de cauſa ad aliqvod tempus cum ſuis Subditis in ſilentio diſpenſare, & potisſimùm ante Jejunia Omnium Sanctorum, & Quadrageſimæ.

B. Ladislai. 1588.

Idem.

V. Quovis autem tempore, & loco, omnes & ſinguli modeſtiam ſervent Religioſam, potisſimùm in lingva, ſubmiſsè, & non clamoroſe loquendo, non concitato curſu, ſed gravi inceſſu, manibus non pendulis, ſed in manicis ad pectus compoſitis, ſine ſtrepitu incedendo. Qui lingvâ deliquerint, frœno ligneo: qui ſtrepitu, calepodiorum ad collum appenſione puniantur. Cum hoſpitibus poſt ſilentium confabulari nemini liceat, niſi â Superiori Locali deſtinatis.

De Menſa Fratrum.

I.

Polon. Antiq.

OMnes Patres, ac Fratres ad Refectorium, audito pulſu, ſimul conveniant pro benedictione Menſæ, & dato ſigno, omnes genuflexi per Pſalmum: Miſerere, ſeſe recol-

ligant,

ligant, & dicto per Servitorem Mensæ : Gloria Patri, Benedictionem Pater Cantor incipiat, præmisso Psalmo : De profundis, extra dies solemnes primæ, & secundæ Classis. Ad benedictionem, multò magis ad Refectionem tardè venientes, causam dicant Superiori probandam, vel reprobandam. A Mensa, nonnisi de licentia Superioris, & peractis in Refectorio gratiis, (si non sint reversuri,) ire licebit. Uniformitas, & vita communis in cibo, & potu, omninò servetur. Infirmorum tamen, Senum, Lectorum actu disputantium, Prædicatorum publicè prædicantium, & Forensium particularis ratio habeatur. Guardiani in his delinquentes, pœnâ arbitrariâ puniantur. Subditi verò extraordinaria fercula, nullos proventus habendo, extorquentes, noverint, se esse sanctissimæ paupertatis, qvam voverunt, transgressores, & pœnâ proprietariorum dignos.

Clem. VIII.

Vrban. VIII.

II. Superior, qvi pro usibus Fratrum concessa, & oblata, ad corruptionem usque suâ aviditate servaverit, ut sordidus, & intentionis Benefactorum defraudator rigidè puniatur. Specialia cuicunqve Fratrum aliundè missa,, Superiori præsententur, & nonnisi in communi Refectorio cum aliis comedantur. A Mensa communi nemo se absentet, nisi de licentia Superioris, sub pœna privationis omnium ferculorum. Eandem pœnam subeant, qui à Mensa Rusticis, vel Servitoribus sæcularibus portiones extra Refectorium extradunt, pauperes ad portam de residuo expectantes defraudando. Servitor Mensæ residuum de portionibus ad refocillandos pauperes non servans, aut aliis distribuens, jejunet in pane, & aqua, tempore Refectionis.

Polon. 1726.

Ibidem. 1640.

III. Ultrà ſpatium unius horæ, Prandium, & Cœna non prolongetur. Diebus verò Jejuniorum, Collatio non ultrà mediam horam protendatur. Sextæ tamèn Feriæ, dum Regula vulgari lingvâ legenda, & Benefactores Orationibus Fratrum recommendandi ſunt, ratio habeatur. Inſtante verò Jejunio Quadrageſimali, & omnium Sanctorum, poterint Superiores, ultrà ſolitam horam, tribus vicibus prolongare Seſſionem ad Menſam pro aliqua Fratrum recreatione, qvæ tamèn limites non excedat Religioſæ honeſtatis. Conſolatio itèm lautior, die tertiâ Nativitatis, Paſchæ, Octavæ Corporis Chriſti, ante Feſtum Omnium Sanctorum, nec non aliis temporibus benè viſis, juxta Facultates Elëemoſynarum, detur Fratribus â charitativis Locorum Superioribus. Ad Menſam Refectorii non admittantur Sæculares, niſi ſint ſpectabiles Perſonæ, vel ſingulares Benefactores, idqve de conſilio duorum ſaltim Diſcretorum. Ad Menſam ſilentium ſervetur, & toto tempore Refectionis lectio legatur; Latina quidèm ad tertiæ portionis extraditionem: Polonica verò ad finem Menſæ.

Polon. 1593.

Ibidem.

IV. Præter Diſcretos, omnes alii Patres, qui decimum qvintum Annum in Sacra Religione non compleverunt, pro Lectura, & Servitura menſæ una cum Clericis ſuo ordine in Tabula Officiorum per Septimanam ſcribantur, poſt hos Fratres Laici ad ſerviendum Menſæ, exceptis Conventibus ubi ſtudia, vel Noviciatus habentur, In his enim ſtudioſi ſoli, vel Novitii ad Menſam legere, ac eidem inſervire obligantur. Item, pro lavandis orbibus, ſive ſcutellis à Patre Vicariò incipiendo, Patres etiam Confeſſores, ut ſupra, qui decimum qvintum Annum a ſuſcepto habitu non exceſſerunt, quotidie legantur, poſt hos Clerici & Laici ſucceſſive, ita tamen, ut Fratres Clerici & Laici bis

mensæ inserviant, vel legant respective, ac orbes lavent, Patres verò semel ordine suo. Et ultra prædicta, Fratres Laici Professi diebus Dominicis, Festis ad populum, item Primæ & Secundæ Classis Mensæ inservire, & orbes lavare tenentur, sub pœna disciplinæ.

V. Omnes post prandium vadant ad Ecclesiam pro persolvendis de more gratiis, bini, & bini, cum debita modestia, Psalmum pro ratione temporis recitantes, nisi quandoqve Superior dispenset, quia tunc prædicta in Refectorio peragi possunt, & dicenda erit Antiphona: Sub tuum præsidium cum Versu, & Collecta de Immaculata Conceptione, flexis genibus. Post Collationem quoqve persolutis gratiis in Refectorio, ibunt similiter ad Ecclesiam recitantes Psalmum: Qvi habitat in adjutorio. Qvo finito, Examini Conscientiæ vacabunt, uno quadrante, & dictis quinqve Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri. &c. ac Sexto pro Summo Pontifice ad lucrandas Indulgentias, benedictionem à Superiore accipient, & aqvâ benedictâ aspergentur. A prædictis sese absentantes pœnam disciplinæ incurrant. Polon. Antiq.

Qvomodo Fratres debeant ire per mundum.

I.

NEmo omninò Fratrum egrediatur e Conventu, cujuscunqve sit gradûs, & conditionis, nisi obtentâ licentiâ sub pœna Apostasiæ. Exeuntes verò, & redeuntes, singulis vicibus, se præsentent Superiori, petantqve benedictionem, sub pœna disciplinæ. A Sociis verò redeuntium (Patribus omni exceptione dignis, hæc lege non compre- Clem. VIII. de Reform.

henſis,) Superior inquiret, quid rei actum ſit ; Socii etiàm non requiſiti, exceſſus delinquentium non deferentes, eandem pœnam cum delinquentibus ſubeant, ſi aliunde delictum ad notitiam venerit. Licentiati ad Civitatem poſt prandium, redeant pro Veſperis, vel Completorio, ſub pœna diſciplinæ, niſi in neceſſitate Conventûs miſſi, aliter facere non poſſint. Redeuntes poſt pulſum ad pro Pace, pro prima vice, diſciplinam faciant, pro ſecunda in domo diſciplinæ per triduum includantur.

B. Raphäel.

II. Manducare, aut bibere in Civitate, ubi ſunt noſtri Conventus, omninò prohibetur, (niſi apud ſpeciales Benefactores, aut Perſonas honoratas aliter fieri absque ſcandalo non poſſit,) idqve non qvibuscunque, ſed morum gravitate probatis, & exemplaribus Viris permittatur. Superiores quâvis de cauſa licentiam concedentes, & convictos non punientes, qvi ſe ad manducandum, vel bibendum in Civitate licentiant, Officio priventur. Ipſi verò delinquentes, in domo diſciplinæ per triduum includantur, ac jejunio macerentur. Seriò Superioribus Localibus præcipitur, ut nonniſi in vera, & urgenti neceſſitate Fratres mittant ad Civitatem; In privatis verò Fratrum neceſſitatibus, nonniſi ſemel infra duos menſes egreſſuris, (Patribus Provinciæ exceptis,) licentiam dent, & non gratos Socios aſſignent. Divertentes ad alias domos, vel loca, in petitione licentiæ non ſpecificata, pœna levis Apoſtaſiæ puniantur. Eidem, vel graviori pœnæ ſubjaceant, qvi ad Benefactores, vel alium Conventum miſſi, aliò divertunt.

Polon. 1452.
B. Raphäel.
Clem. VIII.
Salmant. 1593.
Polon. Antiq.

III. Fratres, quantum fieri poteſt, ſemper bini ad extra mittantur : Miſſi, humilitatem, modeſtiam ubiqve locorum ſervent : à mutuis contentionibus, ſpargendis rumoribus,

B. Raphäel.

ribus, detractionibus, multiloqvio, & garrulitate, curiosis aspectibus abstineant, sed in omnibus verbo, & exemplo Sæcularibus prodesse studeant. Contrarium facientes gravitèr puniantur. Inter Benefactores moderato victu, & potu utantur, Sæcularibus negotiis, aut Domûs regimini se non ingerant: nec ultra duas septimanas apud Benefactores morentur. Qvi suum Benefactorem, aut Pœnitentem ad petendam pro se extra Conventum licentiam subordinaverint, si Confessor est, à Confessionibus suspendatur, Alii in domo disciplinæ per triduum includantur. Qvi verò, ultrà præscriptum tempus apud Benefactores, vel alibi, commorati fuerint, tamdiù carceri includantur, quamdiù contrâ voluntatem Superioris extra Conventum manserint: Nec eorum excusationes audiantur, sub pœna arbitraria Superioribus contrà facientibus infligenda ab A. R. Patre Ministro.

Salmant.

Vallisolet.

IV. Ad alios Conventus ordinati qvantocyùs expediantur, Guardiani Obedientiales detinentes, pœnâ Inobedientium cœrceantur ab A. R. Patre Ministro. Qvi verò ex loco aliò vadunt, nihil accipiant, præter illa, quæ sibi à Superiore Provinciæ in scriptis sunt concessa. Sarcinulas suas Superiori Loci, à quo, & ad qvem vadunt, revidendas humilitèr repræsentent, sub pœna proprietariorum. Qvi absqve Obedientialibus alibi veniunt, ut suspecti de Apostasia puniantur, nisi sint Personæ, de quibus suspicio oriri non potest. Qvi verò, habitis Obedientialibus, ad locum sibi destinatum ire noluerint, vel per longum tempus in itinere divagati fuerint, carceri mancipentur. Qva propter de loco egressuris Superior Loci diem egressûs specificet in Obedientialibus, manuqve propiâ subscribat.

Polon. Antiq.

Sacra Congreg. 1628. B. Ladislaus. B. Raphäel. Vallisolet. 1593. Benedictus XIII. 1725.

V. Capellaniæ per Statuta totiès proscriptæ, ac per Sacram Congregationem, & â Summis Pontificibus interdictæ, nullatenùs tolerentur, nec de novo suscipiantur, multominùs illæ, qvæ curam animarum ad Ecclesias Parochiales, sivè filiales habent. Proindè seriò commendatur A. R. Patri Ministro, ut pro bono Provinciæ, ac Religionis decore, nulli Benefactorum Capellanum concedat, sed se modis convenientibus, ac Majorum inhibitione excuset. Illi verò, qvi pronùnc apud qvosdam Benefactores existunt, prointerim ad tempus tolerentur ob evitandum scandalum, & alia inconvenientia, qvæ exindè oriri possint. Superiores foranei ad Loca, ubi sunt nostri Conventùs, venientes, rectà ad Conventum descendant, & nonnisi cum Socio assignato (Patribus Provinciæ exceptis,) ac benedictione Guardiani Loci ad Civitatem exeant, sua negotia expedituri, sub pôena Apostasiæ.

De Eqvitatione.

I.

Vrban. VIII. Salmant. c. 3. Vallisolet. 1593.

Cum Fratribus nonisi manifestâ necessitate coactis eqvitare liceat, nullus omninò eqvis, & curru licitè uti poterit, nisi A. R. Patris Ministri, aut Superioris Localis causa probata in scriptis licentiam habeat, qvorum super hoc conscientia oneratur, ne qvâvis de causa, ac omnibus indiscriminatim eandem currizandi licentiam tribuant, nisi seniculis, infirmis, valetudinariis, pedum dolore laborantibus, vel prolixioris itineris gratiâ. Contrarium facientes, & sine licentia, ac causa probata in scriptis equitantes, in Conventu, ad qvem veniunt, Carceris menstrui pôenâ mulctentur. Superiores conniventes, vel de facili licentiantes,

Polon. B. Ladislaus 1538.

antes, Officio priventur, ac ad alia inhabiles declarentur. Ipsi qvoqve Patres Guardiani de Conventu egressuri, eqvis uti volentes, necessitatem Discretis examinandam proponant sub eadem pœna. Nulli Patrum, ac Fratrum, licentia currizandi concedatur, ad visitanda Loca devotionalia, aut Parentes, & Consanguineos, vel solius recreationis gratiâ. Hac lege non arctantur infirmi, valetudinarii, vel convalescentes, qvibus â Medicis mutatio auræ præscribitur, aut est necessaria.

II. Illi, quibus eqvitandi licentia datur, caveant, ne per Civitates, & loca publica curru insideant, aut more Magnatum eosdem contegant, sed memores religiosæ paupertatis, curribus vilioribus, & equis utantur, ac pedestres per vias publicas incedant propter scandalum pusillorum. Qvoniám verò & Patres Nostri, & nos longâ experientiâ probatum habeamus, quòd in Regno Poloniæ, ob bellorum tempestates, Benefactorum distantiam, Ordinumqve Mendicantium multiplicationem, necessitatibus Conventuum Nostrorum sine Jumentis provideri non possit; Ideò numerus ordinarius eqvorum ad qvietandas conscientias, Fratrum hic præscribitur, nempè pro Locis Particularibus qvinqve eqvi, & quatuor boves; Pro majoribus verò, ubi sunt Studia, vel Noviciatus, equi sex, vel septem ad summum, ac boves quatuor permittuntur. Pro fabrica autem A. R. Pater Minister alium opportunum numerum determinabit. Guardiani, ac Superiores Locales ultrà præfixum, eqvos, & boves in suis Conventibus respectivè qvoad majorem numerum augentes, ac multiplicantes, Officio exnùnc priventur, & pœnâ Inobedientium puniantur. Plus enim elëemosynæ quandoqve pro Jumentorum conservatione, qvàm Fratrum sustentatione consumi necesse est.

Salmant. Roman. 1603.

Polon. 1726.

CAPVT IV.

De non recipienda Pecunia, ac modo recurrendi ad Amicos Spirituales.

I.

QVoniàm rigoroso Præcepto Regulæ prohibetur Fratribus receptio Denariorum, & quæ pretio æstimantur, vel qvorum usum Nobis habere non licet; Ideò tanquàm Proprietarios puniri præcipimus, qui per se, vel interpositam Personam denarios, vel pecuniam receperint, & expenderint ad proprios usus, vel eosdem penes se, vel in pera portaverint, propriâ manu contrectaverint, vel apud se in Cella, aut apud Sæculares, etiàm Syndicos propriâ authoritate deposuerint, vel conservaverint. Quod si aliquis semel notatus, & punitus in hoc vitio non se emendaverit, pôenâ carceris eidem duplicetur, & jure Suffragiorum per triennium careat. Quibus verò privatio non competit, Caparonem per tres menses deferant. Easdem Proprietatiorum pôenas subeant, qvi sine scitu Superioris debita contrahunt. Si verò, (quòd Deus avertat,) aliqvem Proprietarium, pecunias habentem, vel alibi conservantem mors præoccupaverit, asininâ sepulturâ, & non Ecclesiasticâ sepeliatur,

Vrban. VIII. Roman. 1612 Salmant, c. 4. Vallisolet

II. Recursus ad Benefactores, seù Amicos Spirituales, ut, mediante pecunià, Fratrum provideant necessitatibus, nonnisi veris in præteritis, (si debita sunt solvenda) præsentibus, ac certò imminentibus necessitatibus fiat. Item.

Nicol. III. Clem. V. c. Exivi de Paradyso. Ite, & vos &c

Si

Si neceſſitates ſint propriæ Fratrum, & quæ per mendicationem in propria ſpecie commodè haberi non poſſunt, nec ſit alia pecunia, qvæ pro illis ſufficiat. Et ſi alicui Fratrum à Benefactoribus elëemoſyna pecuniaria pro ejus neceſſitatibus, vel etiàm indeterminatè offeratur, hæc per eosdem Benefactores (de licentia tamen Superioris,) aut eorum ſubſtitutos in uſus neceſſarios expendatur. Vel Syndico conſignata Maſſæ communi elëemoſynarum Conventûs aggregetur, ac in Regeſtris Perceptarum adnotetur, ut Superior cum Syndico de illa diſponat, prout opportunum judicaverit.

III. Sub iisdem Proprietariorum pœnis præcipitur omnibus Locorum Superioribus, ut omnes elëemoſynas pecuniarias non alibi, nec apud ſe, ſed penes Syndicos Apoſtolicos, vel eorum legitimos Subſtitutos teneant, & conſervent ac per manus illorum numerari, & expendi faciant, uti OEconomos, & Procuratores Sedis Apoſtolicæ, quos moneant, dictas Elëemoſynas non ad Fratres, ſed ad dominium Benefactorum illas offerentium, vel Sanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinere, & quod de rebus, quas vendi, vel commutari per eosdem oportuerit, & pretium in neceſſitates Conventuum de voluntate Superiorum converti, id totum nomine dantium, offerentium, Legantium, aut Sedis Apoſtolicæ faciant. Cum quibus iidem Superiores Perceptarum & Expenſarum computus, non tamen Juridicos faciant, ſed tantummodò ad experiendam eorum fidelitatem, & ad congruam Fratrum proviſionem. Ibidem.

IV. Fratres Proviſores pro petenda elëemoſyna miſſi, ſingula neceſſaria à Benefactoribus in propria ſpecie petant, uti Panem (ad qvem qvæſtuandum ſemper cum biſaccis vadant,) Polon. 1593.

dant,) candelas, olera, & similia. Quod si Benefactores (ut communitèr evenit,) prædicta non habentes, pecuniam offerant, hæc nonnisi modis licitis per eorum Substitutum recipiatur, & Syndico consignetur. Fratres alio modo recipientes, vel conservantes pecuniam, aut de ejus quantitate Superiorem non certificantes, pœnâ menstrui carceris puniantur. Guardiani verò necessaria Questuariis non dantes, aut eosdem ad recipiendas pecunias pro equis, curru, & annuali famulorum mercede exsolvenda dispensantes, Officio exnùnc in Visitatione priventur, & ad alia Officia fiant inhabiles. Idem de illis Superioribus judicium quoad pœnas, qui Fratribus necessaria de communibus elëemosynis nolunt charitativè providere, sed eos cogunt ad quæstuandum elëemosynas pecuniarias recurrere pro suis veris indigentiis, quas manifestant.

B. Ladisl.
B. Raphäel.

V. Pecunia pro determinata necessitate oblata, v. g. pro resarciendis tectis, Vestimentis, & sine expresso consensu dantis, si commodè haberi poterit, vel saltim interpretativo in alios usus, expendi non potest: Nec uni certo Conventui oblatam (exceptis Missarum supernumerariarum stipendiis, quæ aliis Conventibus possunt, & debent distribui,) Superiores Locales alteri Conventui applicare, vel quovis prætextu alienare non possunt, sine expressa licentia A. R. Patris Ministri, sub privatione actuum legitimorum. Eandem pœnam incurrant Guardiani, vel alii Patres Forenses, qui in Studiis causa hospitalitatis, vel alibi, Patribus graduatis dona, vel munera pecuniaria tribu-unt. Item. Qui in Festis suorum Patronorum Communitatem tractant, cum recursu ad pecuniam, ac Superiores talia permittentes. Licitum tamen est Patribus Guardianis, in

Ibidem.

Polon. 1726.

in gratiam alicujus benè meriti Patris, vel Fratris de communibus Conventûs elëemoſynis ob gratiam Feſti conſolationem communitati dare.

VI. Offertoria pecuniaria in Miſſis, ac Concionibus, vel ad ſepulchra Beatorum, & ad feretra Benefactorum, qui in Nòſtris Eccleſiis ſepeliuntur, tempore Depoſitionis fieri ſolità. Item. Cippi, Capſulæ, & alia vaſa pro colligenda â fidelibus elëemoſyna pecuniaria, in Eccleſiis Noſtris omnino interdicuntur ſub pœna Excommunicationis, & carceris menſtrui, talia permittentibus Guardianis, vel Sacriſtis. Offertoria verò in Miſis Confraternitatum, ſive, in Solemnitatibus earum, non intra, ſed extra Eccleſiam ad portam Cœmeterii aliquis ex Confratribus, ſacco indutus recipiat, ſub iisdem pœnis. Quaproptèr Prædicatores ex ambona, & alii Fratres, potiſſimùm Superiores, Benefactores inſtruant, & informent, talia Noſtro ſtatui illicita, & prohibita manere. Salmant. c. 6. Rom. 1600. Polon. 1538. B. Ladisl. B. Raphäel.

VII. Nemini Fratrum per ſe, vel per aliam interpoſitam Perſonam liceat inducere aliquem ex Benefactoribus ad legandam, vel inſcribendam Nobis Summam pecuniariam, â qua fructus, ſive cenſus annui ad tempus, vel in perpetuum alicui Conventui exhibeantur. Sed ſi ipſimet Benefactores ſuà propriâ voluntate abſqve Fratrum interventu id fecerint, ſive gratis, ſive cum onere abſolvendarum Miſſarum, Guardianus Loci coram Executoribus Teſtamenti, ſive Hæredibus, faciat Proteſtationem, eamqve Archivo Conventûs ingroſſari faciat, in hac forma, ut ſeqvitur. Valliſolet. 1593. Rom. 1603. & 1628. Vrban. VIII.

Exemplar Protestationis.

NOs Frater N. Gvardianus Conventûs N. & Discreti ejusdem, dicimus ad nostram notitiam deveniſſe, qvòd N. certam elëemoſynam huic Conventui dandam (perpetuò, vel ad tempus, gratis, vel forſan pro aliqvibus Miſſis, vel Divinis Officiis celebrandis) legavit, & reliqvit. Cùmqve Legata ejusmodi Nobis alitèr recipere non liceat, niſi per modum ſimplicis elëemoſynæ, per præſentes proteſtamur, qvòd Legatum prædictum, tanqvàm incapaces, ex vi Legati rècipere nolumus, nec intendimus. Si autem Hæredes, aut Executores per viam ſimplicis elëemoſynæ dictam qvantitatem absqve ullo dominio, & proprietate noſtrâ Nobis liberè conferre voluerint, illam talitèr datam accipiemus, & piæ Teſtatoris voluntati, quantùm in Nobis fuerit, plenè, & fidelitèr ſatisfaciemus.

Ita eſt. Fr. N. Gvardianus Conventûs N. Fr. N. &c. &c.

S. Bonaventura. Qvod ſi, factâ tali Proteſtatione, ſupradicti elëemoſynam Fratribus legatam annuatim dederint, eam tutâ conſcientiâ acceptare poſſunt. Si autem ob temporis vetuſtatem non appareat, qvibus talis Proteſtatio fieri poſsit, tunc fiat apud Ordinarios, vel in Conſiſtorio, ut illi nomine Eccleſiæ Romanæ, vel Donantium, elëemoſynas, ſive fructus, aut cenſus exigant, & faciant Miſſas, vel Officia celebrari.

Polon. 1719. VIII. Legata, quæ ab Hæredibus, ſive Bonorum Poſſeſſoribus, in qvibus hærent, ſine Juris ſtrepitu evindicari, ac recuperari non valent, nullatenùs nomine Fratrum per Syn-

Syndicos exigantur, sub pœna proprietatis contrarium permittentibus, sed, ut suprà dictum est, Capitulis, factâ Protestatione, seu Officiis Ordinariorum resignentur, uti Elëemosynæ Ecclesiis oblatæ, & derelictæ. Eandem pœnam incurrant Superiores, vel Subditi, in Judicio cum munere Procuratoris ad exigenda Legata comparentes, vel alio qvovis modo illicito, manifestationes, & Protestationes in libris Judicialibus nomine suo, aut Conventûs ingrossantes vel ingrossari permittentes. Item 1726.

IX. Si verò ex pia Testantium Benefactorum voluntate aliqvod Legatum Fratribus pro Fabrica, aut Reparatione Ecclesiæ, vel Conventûs, sive pro Vestimentis, aut necessitatibus infirmorum, vel aliis indigentiis sublevandis, absqve tamen determinato, vel indeterminato onere Missarum, per eosdem Fratres, vel alios absolvendarum relinquatur per modum puræ & simplicis elëemosynæ, possunt Guardiani de consilio Discretorum, juxta Clementis Papæ VII. concessionem, per Syndicos, & Procuratores Apostolicos cum Hæredibus, & Executoribus, super dicto Legato non onerario componere, ad certam Summam, & quantitatem pecuniariam, semèl tantùm solvendam, & tradendam pro relevandis necessitatibus Conventûs, factâ per eosdem Syndicos, plenâ, & perpetuâ Hæredibus, ac Executoribus absolutione, & qvietatione. Clem. VII. 1526.

X. Singulis mensibus, per Superiores Locorum, ac Syndicos Apostolicos, sive eorum Substitutos, coram Discretis capitularitèr congregatis, computus elëemosynarum perceptarum, & expensarum reddantur; Paritèr numerus Missarum absolutarum, & absolvendarum, ne pluribus præter illas, quæ per duos menses, absolvi possunt, Con- Rom. 1615. Vrban. VIII. Innocent. XII.

Vallisolet. 1593. ventus onerentur, Contra præscriptum constitutionum Apostolicarum. Superiores in hoc negligentes, officio priventur. Quod si elëemosynas defraudasse, vel in suos peculiares usus, aut Prælatorum, aliarumque Personarum dona, easdem erogasse, convicti fuerint, ipso facto Excommunicationis pœnam incurrant, ac omnibus Officiis Religionis perpetuò priventur, & carceribus mancipentur, A. R. Patris Ministri arbitrio, pro qualitate delicti.

CAPVT V.

De modo laborandi, Oratione, Studiis literariis, & Bibliothecis.

I.

SVperiores Locorum seriò invigilabunt, ut otium, animæ inimicum, è Conventibus Nostris eliminent. Proindè otiosi, qvi in confabulationibus, discursibus, tempus inaniter consumunt, graviùs puniantur, & ad lectionem librorum, aut manualia exercitia, disciplinâ & ferculi primi privatione compellantur. Ad exercitia manualia statutis à Superiore Locali temporibus omnes etiam Sacerdotes, qui in Religione duodecimum annum non compleverunt, conveniant; (infirmis, ac Sacræ Theologiæ, ac Philosophiæ Studiosis exceptis,) his tamen Exercitiis ultra unam horam non occupentur, nisi urgens necesitas aliter fieri jubeat.

Polon. 1538. B. Ladislaus 1488.

Polon. 1640. II. Fratres Laici ad obsequia Ecclesiæ, & domûs, statui suo conformia deputentur. Illis verò, qvi nullis Officiis

ciis sunt deputati, & qui nullam artem Religioni necessariam norunt, Superiores assignent quotidiè laboritia, sive in cultura horti, sivè in mundandis leguminibus, sive in lignis secandis &c. Desidiosi, & pigri, jejunio, & domo disciplinæ arceantur. Nemo Agnus DEI, Reliquiaria, Imagines subductas laborare pro Sæcularibus præsumat, sine expressa licentia Superioris. Contrarium facientes, pœnâ carceris per mensem puniantur. Hæc enim sine recursu ad pecuniam fieri non possunt, & multorum præstant occasionem malorum.

III. Fratres alicujus artificii gnari, ut arcularii, pictores &c. in Domibus Sæcularium non maneant laborantes, pro necessitatibus illorum; Nec in alienis Ecclesiis illa faciant, quæ per sæculares artifices præstari possunt. Superiores permittentes, & Fratres ad hunc finem operam offerentes, pœnâ arbitrariâ puniantur. In gratiam singulorum Benefactorum, prædicta domi extra dispendium Conventûs fieri possunt. Merces laboris si sit pecuniaria, servatis conditionibus, Syndico consignetur; Si verò non fuerit pecuniaria, per eosdem Benefactores, aut per Fratres laborantes integre, & fideliter Superiori reddatur, sub pœna proprietarii. Ibidem.

De Oratione.

I.

ORationi Mentali ante Primam, & Vocali post Completorium integris horis, omnes & singuli adsint, sub pœna disciplinæ, nisi Causa, à Superiore probata, aliquem excusaverit. Notabiliter defectuosi, genuflexi tem-

pore Refectionis, negligentiam suppleant. Mentalis Orationis materia, ad finem Collationis in Refectorio, vulgari lingvâ perlegatur de Passione Domini, vel ex alio libro Meditationum. In Festis tamen Sabbaoth, & solemnioribus Beatæ, prouti & tempore Adventûs Domini legatur
Polon. Antiq. materia, tempori deserviens. Clepsidræ sint, integram horam tenentes, quæ pro Meditatione post Elevationem in primo Sacro, tempore æstivo: & post excitationem à Sacrista, tempore brumali: Ad Coronam verò sub tempus: Nunc dimittis, tempore Completorii evertantur. Superiores, prædictis non attendentes, graviter ad arbitrium A. R. Patris Ministri puniantur.

II. Oratio Vocalis, diebus Festis, tempore Officii de
Polon. 1626. Immaculata Conceptione ante Vesperas persolvatur. Vtraqve Oratio à Dominica Resurrectionis ad Festum omnium Sanctorum in Choro, & deinceps in Refectorio persolvatur. Quamdiù verò Meditatio in Refectorio peragetur, id fiat ante primum Sacrum, pro qua pulsetur, horâ qvintâ. Diebus etiam solemnioribus ad evitandum populi concursum sub tempus æstivale, & ad majorem Confessariorum commoditatem, Meditatio ante primum Sacrum anticipetur in Refectorio, ad cujus finem Fratres confiteantur. Exercitia Spiritualia, sive Octiduanæ Recollectiones in quolibet Conventu ab omnibus, & singulis, quotannis unâ vice peragantur, sub pœna privationis Officii Guardi-
Polon. 1720. anis dissimulantibus. Et duplicatæ Recollectionis, à negligentibus omnino persolvendæ.

Polon. Antiq. III. Disciplina, Feriâ Sextâ Paraſceves de noctu post Laudes, per quatuor vices Psalmum: Miserere, & ter repeti um Psalmum: De profundis, peragatur, in qua Superior

suam

ſuam non nimis protendat Exhortationem, & recommendet Benefactores. Poſt finitum Sermonem, dicto: Salve Regina, cum ſuis Orationibus, eandem Flagellationem terminabit. Inſuper qvâvis Feriâ Secundâ, Quartâ, & Sextâ, (Feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, & quæ à populo celebrantur, exceptis,) Diſciplina, pro antiqua Provinciæ conſvetudine, fiat in Refectorio, poſt Matutinum: In qua ultrà ſolitos Pſalmos, Antiphonas, & Orationes, addantur Verſus: Sancte Deus &c. A Peſte, fame, & bello, ac Monſtra te eſſe Matrem, unâ vice dicendi, & nihil ampliùs. Ibidem, 1717.

De Studio, honeſtiſſimo laboritio.

I.

SIngularis cura Studiorum, quæ & Sanctæ Eccleſiæ, ac Religioni, fulcimento, & ornamento eſt, A. R. Patri Miniſtro, & toti Diffinitorio demandatur, Qua propter Lectores idoneos, & exemplares inſtituant, qui ſuâ ſedulitate, & ſtrenuitate Juventutem ad Studia incitent, & in Religioſis obſervantiis, moribus, & exemplo præluceant. Superiores quoqve benè affectos, ac charitativos Studiis literariis præficiant, qui omnia neceſſaria Lectoribus, ac Studentibus paternè provideant, ac ſubminiſtrent, ſub pœna depoſitionis. Salmant. c. 5. Rom. 1551. Polon. Antiq.

II. Nova Lectorum Inſtitutio ſummâ diligentiâ fiat, juxtà doctrinæ, ac morum Inſtituendorum merita. Proindè nullus Studentium Lector fieri poteſt, niſi completo integro curſu Philoſophico, ac Theologico, Concluſiones tàm privatas, quàm publicas anteà defenderit, Lectorumqve Roman. 1651. Rom. 1639.

ſuorum, ac Superioris Localis ſcripto teſtimonio de ſufficientia Scientiæ, ac morum probitate idoneus reperiatur, quod ſcriptum in Diffinitorio præſentetur. Patribus verò Lectoribus diſtrictè ſub onere conſcientiæ præcipimus, ut
Polon. 1640. nullum de Studioſis ſuis ad Lecturæ Officium, vel Prædicatoris munus promoveant, niſi prævio accurato examine, ac oculatâ experientiâ, Eos quoad Scientiam, ac mores exemplares, ſufficientes eſſe judicaverint. Ad Lecturam verò Sacræ Theologiæ Speculativæ nemo inſtitui poteſt, niſi prius Logicam & Philoſophiam docuerit.

Rom. 1651. III. In omnibus Congregationibus Capitularibus, ac Intermediis, nova Lectorum Theologiæ, ac Philoſophiæ Inſtitutio, prouti jam abantè Inſtitutorum approbatio, & ad continuandum promotio fiat per ſuffragia omnium Patrum Diffinitorii, quam ob cauſam A. R. Pater Miniſter, uti & Viſitator Generalis, ſi in ſuis Viſitationibus depoſita contra aliqvos habuerint, aut illos in ſuo Officio negligentes, æ-
Rom. 1700. qualem omnium Studentium profectum non curantes, rixas, & diſſenſiones facientes, bibulos, ſcandaloſos, vel proprietarios invenerint, notificent toti Diffinitorio: Qvod eosdem à Lectura deponere tenebitur, non attentâ quàcunqve annorum, quibus legerunt, continuatione, ne aliàs indigni Privilegio Jubilationis potiantur. In iisdem Viſitationibus Lectores, novitèr inſtituti, ſuas Theſes expo-
Polon. 1593. nant, & defendant, ut eorum capacitas, & Studentium profectus Superiori Provinciæ innoteſcat.

Rom. 1651. & 1658. IV. Patres Lectores ſuas Lectiones quotidiè legant, nec de facili diſpenſent, explicationem, & repetitionem Lectionum non procraſtinent. Vltra hebdomadales Concertationes, menſtruas, ac in decurſu Studii publicas typis impreſſas, exponant

nant Concluſiones, ſine tamen exqviſitis Iconibus, etiamſi aliquis Benefactor ſumptus ſuppeditet, ut in omnibus Sancta paupertas eluceat, & ſumptus Noſtro Statui repugnantes amputentur, ſub pòena arbitraria. Sumptus pro imprimendis Concluſionibus Superior provideat. Eleëmoſynæ verò, ratione Concluſionum dedicatoriarum oblatæ, Conventui incorporentur, & factâ Conventui ſatisfactione, reſiduum pro libris ad Studia ſervientibus expendatur, ſub pòena proprietatis. Vrban. VIII.

V. Declaratur in his, quæ Studium concernunt, Patres Lectores habere facultatem ſupra ſuos Studioſos. Proindè negligentes, vel ſeſe â Lectionibus abſentantes, monere, arguere, & punire poſſunt per Culpæ Refectorii injunctionem. Nec ſine ſcitu illorum aliquis Studentium tempore Lectionum duntaxàt extra Conventum amandari, aut Miſſas celebrare valet in alienis Eccleſiis. Proindè Superior Loci, urgente neceſſitate, ad ordinandos extra Conventum Sacerdotes Studioſos, cum Lectoribus componat, ne aliàs ad Speculationem apti per evagationes detrimentum profectûs patiantur. Patres verò Lectores, ob evitanda jurgia, non ſe difficiles exhibeant, potiſimùm in manifeſta neceſitate. Et ut eò diligentiùs Officio ſuo intendant, ab obſeqviis Chori, & Domûs, & â facienda Hebdomada ſint liberi; Vtriqve tamen Orationi, Mentali, & Vocali, Diſciplinæ, ac in diebus feſtis Miſſæ cantatæ, & Veſperis adſint, nec de Conventu paſſim egrediantur, ſub pòena depoſitionis. Patres Sacræ Theologiæ Lectores ſexennaes Studii Generalis, in Conventibus, ubi actu legunt, Gvardianos Forenſes, ac quoscunqve alios, etiàm Diffinitores habituales præcedant. Polon. 1640. Ibidem. Ibidem. Roman. 1679.

Vallisolet. 1593. VI. Fratres Studiosi extra Conventum in suis necessitatibus nonnisi semel, vel ad summum bis intra Mensem mittantur cum Socio, à Superiore Loci, vel Lectore Primário assignato. Ad Studium Theologiæ nonnisi aptiores promoveantur, habito testimonio à suis Professoribus. Discoli, scandalosi, bibuli, contentiosi, & Divina negligentes non promoveantur, nec promoti in Studio tolerentur. Studiosi Theologiæ diebus, quibus leguntur Lectiones, sint liberi à Prima, Tertia, Sexta, Nonâ, & Completorio. Philosophi verò à Sexta, Nona, & Completorio liberi declarantur, qvibus tamen horis Acolythi adsint. Diebus verò Festis, tàm hi, quàm illi omnibus Divinis interesse tenentur. Concluſiones defensuri, vel impugnaturi publicas, quatuor vicibus: privatas vero, duabus vicibus à Matutino Polon. 1640. in Choro excipiuntur. Ad concionandum tamen in Refectorio ordine suo, uti & ad legendum ad Mensam, & ei serviendum obligantur.

VII. Studia Casuum Conscientiæ, uti & Rhetorices foveantur. Lectioni Casuum, prouti & Repetitioni omnes Sacerdotes, qui Studium Theologicum non finiverunt, aut in illo saltim per duos annos non fuerunt, intersint, sub pœna disciplinæ, & graviori Superiorum judicio subeunda. Lectores in suis Officiis diligentes, à Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio sint liberi, & ad alia Officia promoveantur. Qvotidiè tamen unâ vice suas Lectiones faciant.

VIII. Pullulante pestis periculo, (qvod Deus avertat,) Lectores cum suis Studiosis ad securiorem Conventum transferantur, ne dispersi in otio delitescant. Qvòd si in uno Conventu omnes in simùl sustentari, non sit possibile, saltim media pars cum uno Lectore, & media cum alio in altero

altero Conventu, vel apud aliqvem Benefactorem collocetur. Superiores hoc in passu Studium recipere recusantes, Officio priventur.

De Bibliothecis.

I.

PRofectui Patrum Lectorum, & Prædicatorum consulendo statuitur, ut pro communi Bibliotheca quilibet Superior, Localis aliqvos libros provideat, qvi magis necessarii videbuntur, proùt per facultates licuerit. A. R. Pater Minister post Fratres Defunctos, (ad quem solum derelicta Defunctorum suppellectilis, & non ad Superiores Locales spectat,) Breviaria, ac libros Conventibus, & Bibliothecis magis indigentibus distribuet. Bibliothecarum Præfecti assignantur Patres Prædicatores Ordinarii, qvi libros in suo ordine, numero, & munditia conservare tenebuntur. Quapropter accepto à Superiore Loci Librorum Inventario, Libros semel in anno cum eodem Inventario computabunt, eosqve purgabunt, sub pœna arbitraria. Polon. 1640. Rom. 1612.

II. Præfectus libros extra Bibliothecam daturus, Schedulam manu Fratris libros accipientis subscriptam, Mense, Anno, & Die specificatis accipiet, & asservabit, ac Mense elapso, vel si Frater aliò est migraturus, eosdem repetet. Qvi verò præfinito tempore librum restituere neglexerit, participatione librorum Communitatis privetur. Nullus omninò librum aliqvem extra Conventum accommodare præsumat, nisi fortè aliqvis notabilis Persona, cui bonis modis denegari non possit, postulaverit, idqve fiat de licentia Superioris Localis, ac omnium Discretorum. Librum commodans qvantocyùs repetere tenebitur, aliter faciens pœ- Polon. 1726. Pius V. Ibidem.

nam Excommunicationis, & Proprietatis incurrit ; Qvâ etiam puniantur illi, qvi Libros Bibliothecæ ſuo uſui applicant, aliis dant, distrahunt, & ſecum ad alios Conventus deferunt, aut ex negligentia amittunt.

Polon. 1640.

III. Superiores Locorum qvamprimùm ad ſuum Conventum cum Obedientialibus venerint ex Capitulo, vel Congregatione deſtinati, non ſolùm communes, ſed etiàm Patrum Lectorum, ac Prædicatorum libros revideant, juxtà Inventarium eosdem computent, quorum unum ſit penes ipſos, alterum verò Inventarium penes Præfectum Bibliothecæ ; Hoc idem faciant Officium deponentes, ſub pœna arbitraria. Libri Studiis ſpeculativis inſervientes ad alium locum de licentia A. R. Patris Miniſtri ad tempus pro utilitate Studii transferri poſſunt ; Horum tamen Inventarium, & ipſi Libri alicui Fratrum committantur, alterum conſervetur in Conventu, à qvo transferuntur, ut poſteà redeant, ac repetantur. Libri prohibiti in loco ſeparato clauſi conſerventur, & nonniſi expreſſam eos legendi facultatem habentibus concedantur, ſub pœna Excommunicationis.

CAPVT VI.

De Sancta Paupertate in omnibus ſervanda : De petenda eleëmoſyna : De Fratribus infirmis : & de Hoſpitibus.

I.

Nicol. III. Clem. V.

FRatres nihil ſibi approprient, ſed ut altiſſimæ Paupertatis Profeſſores re ipsâ oſtendant, qvòd nihil Juris Civilis,

vilis, Dominii, aut Proprietatis, tàm in communi, qvàm in particulari habeant. Nihil igitur ſine ſcitu Superioris detinere, ſervare, donare, commutare, diſtrahere, intra, & extra Conventum, etiàm de rebus ſuo uſui conceſſis valent, ſub pœna Proprietariorum pro ratione delicti, qvam omninò incurrant, qvi per ſe, vel per interpoſitam perſonam debita contrahunt, vel libros, aut alias res ſibi conceſſas oppignorant. Superiores verò Locales, qui ſine conſilio Diſcretorum gravibus debitis Conventus onerare, aut ſine interventu Syndici Apoſtolici, vel ejus Subſtituti, aliquid emere, vendere, commutare, vel alienare de rebus Monaſterii proprio nomine præſumpſerit, officiis priventur. Tolet. 1633. Valliſolet. 1593.

II. Omnem Proprietatis viam præcludendo, ſub obedientia, & privatione actuum legitimorum, præcipitur omnibus Locorum Superioribus, ut ſuis Subditis paternè & charitativè omnia ad victum, amictum, & decumbendum neceſſaria ſubminiſtrent, uti Habitum, & tunicellam, Chordam, femoralia, coria pro calepodiis, lectisternia, ſtrofiola, pileos, & ſocculos, ligna, Chartam, candelas, pelliceos ſimplices, & ejusmodi neceſſaria, pro qualitate, & indigentia Perſonarum, ac Officiis ſingulorum in propria ſpecie. Fratres autèm confidenter, reverenter tamen, & tempeſtivè neceſſitates ſuas Superiori denuncient. Pro majori autem ſatisfactione Subditorum ſtatuitur, ut bis in anno nempè poſt Feſta Pentecoſtes, ac Sancti Patris Franciſci, Feriâ Qvintâ immediatè ſeqventi, fiat Inquiſitio ex ſingulis, ad Diſcretorium vocatis, an ſuas habeant Indigentias, Egentibus provideatur, habentibus verò ſufficientiam, & nihilominùs ſuperflua extorquentibus, pœna pro ratione culpæ infligatur. Valliſolet. Clem. VIII. Polon. 1640.

Polon. 1583. III. Nihil procurent Fratres sibi necessarium, multominus superfluum, sine expressa licentia Superioris, & si ab amicis Spiritualibus aliquid liberè oblatum habuerint, illud Superiori repræsentent: Qui, si res oblata aliis communicanda erit, peculiarem rationem habeat Fratris illius, cui offertur. Contrarium facientes acquisitis priventur, & ad arbitrium puniantur. Fratres de Conventu egressi, si non sint pro nocte redituri, Clavim â Cella Superiori relinquant. Hoc idem faciant Superiores Locales, relinqvendo Clavim penes Vicarium, aut antiquiorem Discretum, & omnia necessaria ad victum Communitatis, sub pœna Proprietatis.

S. Congreg. 1628. & 1680. IV, Vasa aurea, sive argentea: Item. Vestes argenteæ pro Imaginibus, ac apparatus pretiosi non ampliùs procurentur. Imò nec liberè â Benefactoribus oblata recipiantur, sine expressa licentia A. R Patris Ministri. Calices numerum Altarium non excedant. Supellectilis Ecclesiæ, ac Sacristiæ, extrà non commodetur, nisi retalisantibus, ac de consensu Discretorum. Contrarium facientes ad arbitrium A. R. Patris Ministri puniantur. Qvicunqve ex Superioribus Localibus Pomaria, Conventui adnexa qvoad fructus. Item. Hortos, fundos, prata, & Domos Conventui oblatas, vel testamento derelictas, per se, vel per Syndicum annuatim, vel ad vitæ tempora, sive alio qvocunqve modo, alicui Personæ pro æstimato pretio locaverint, vel mulsum, aut vinum, pro necessitate Conventùs comparatum, intra, vel extra sepia Monasterii indigentibus, aut petentibus pro pecunia vendere præsumpserint, exnunc Officiis priventur, ac actibus legitimis per sexennium destituantur, uti Regulæ notorii transgressores. Domus verò, Fratribus oblatæ, aut fundi non necessarii, qvi sunt extra sepia Monaste-

Nicol. III. Clem. V. Vallisolet. 1593

nasterii, per Syndicos Apostolicos absolutè & semel pro semper divendantur, & pretium in communem utilitatem Fratrum convertatur, vel Domus, si est occasio inquietudinis Conventùs, dissolvatur, & penitùs, de loco tollatur. Rom. 1628.

V. Seriò prohibetur Superioribus, ne intra septa Conventûs, vel alibi aliqvod frumentum pro pane, vel Cerevisia, ad usus proprios Communitatis seminari permittant, exceptis oleribus, & aliis leguminibus, ad Culinam necessariis. Item. Vt Pomaria, ac hortos qvoad Culturam, & novas plantationes manuteneant, boves, & oves intromittere non faciant, arbores, sive sint fructiferæ, sive ad decorem solùm deservientes, uti in Skempensi, ac Gorcensi, Conventibus non excidant. Famulos Sæculares ultrà necessarios pro Servitio in Conventibus non foveant, sub pœna Suspensionis ab Officio, & vocis activæ, & passivæ privatione'; Qvam etiam incurrant, qvi absqve expressa licentia A. R. Patris Ministri nova ædificia erigere, antiqva diruere, aut immutare, vel de lateribus coctis, sive calce, à se, aut Antecessoribus suis pro Fabrica, ac reparatione Conventùs comparatis, aliquid extrà dare, donare, vendere, aut commodare attentaverint. Polon. 1640. Item 1725.

VI. Obviando ruinæ Conventuum, qvam hactenùs per granaria Sæcularium depositа patiebantur: Ejusmodi granaria, sive conservatio inhibetur, nec ampliùs permittatur fieri à Superioribus Localibus, tàm in Cellis, qvàm supra Conventum, aut in ejus Officinis, sub pœna depositionis. Similitèr interdicitur receptio omnium depositorum, aut scriniorum Personarum sæcularium, nisi sine scandalo, vel gravi damno Fratrum negari non possit; Et tunc non Polon. 1717. & 1726. Salmant. c. 6. Vallisolet. ut supra.

alitèr ejusmodi depoſita recipiantur, niſi de conſilio Diſcretorum â quibus omnia, quæ intrà ſunt, videantur,, ut ſciant, cui, & qualiter reddi debeant; Et hæc ſcripturâ authenticâ exprimantur, Sigilloqve deponentis muniantur, præmiſsà proteſtatione, quòd Fratres ad cuſtodiendum depoſitum nullatenùs ſe obligare intendant, ſicuti nec poſſunt, nec debent: Alitèr, & ſine his conditionibus recipientes depoſita, Officiis priventur.

Polon. 1640. VII. Pro ſervando Paupertatis rigore, Stubellæ non multiplicentur, & nonniſi A. R. Patri Miniſtro, omnibus Patribus Provinciæ, Lectoribus Sexennalibus Theologiæ, Diffinitoribus etiam Habitualibus. Item. Lectoribus, ac Prædicatoribus actualibus, & Generalibus, ac Vicariis Cuſtodialibus, nec non Seniculis, & infirmis concedendæ. In ſtubellis, uti & in Cellis ſilentium ſervetur, nec fiant aliqva conventicula, aut compotationes, ſub pœna amiſſionis Stubellæ, & graviori. In Cellis paritèr, & in Stubellis omnia redoleant Sanctiſsimam paupertatem, cum Religioſa munditie. Proindè ſuperflua, & curioſa Superiores Locales, Cellas viſitantes tollant, & auferant, potiſsimùm horologia, pectoralia, qvæ interdicuntur omnibus, excepto A. R. Patre Miniſtro, cauſâ itineris continui.

Ibidem. 1726.

Polon. 1726. VIII. Cellam alterius nullus Subditorum, abſente Fratre, ingrediatur, multominùs qvidpiam etiam ad breve tempus auferre audeat, ſub pœna diſciplinæ. Tecturæ, & lectiſterniâ privata tolluntur, ad evitanda plurima inconvenientia, ſed communibus omnes Fratres ſint contenti. Iis tantùm exceptis, quibus A. R. Pater Miniſter ex cauſa rationabili ſcriptam ſuper his licentiam dederit. Nemo de veſperi poſt ſilentium lumen in Cella, vel Stubella habeat, ſub

sub pœna disciplinæ pro prima vice ; Recidivantibus jejunium in pane, & aqva injungatur. Lectores tamen, & Prædicatores actuales, ac qvi â Superiore licentiam habuerint, excipiuntur, qvos tamen seriò monemus, ne suâ incuriâ periculo ignis Conventum exponant.

De Eleëmosyna petenda.

I.

CVm ex mendicationibus quotidianis vivere teneamur, fiant provisiones, & congregationes frumenti, & aliorum necessariorum, per Fratres idoneos, & exemplares, non ad superfluitatem, sed proùt necesitas ex jàm expertis postulaverit. In colligendis manipulis omnis superfluitas devitetur, collecti qvamprimùm triturentur, & ad Conventum granum reportetur, ne illud corrumpi contingat, cum scandalo sæcularium, sub pœna arbitraria. Provisores petitam, & emendicatam eleëmosynam pro Fratribus, aliò distrahentes, donantes, vel commodantes, ut Proprietarii puniantur : Superiores idipsum committentes, Officio priventur. Eandem pœnàm incurrant Guardiani, pro petendis victualibus, aut aliis eleëmosynis in alienas qvæstas mittentes ; Vltrà acquisitorum privationem, Qvæstuarii suà aviditate sese licentiantes, pœnâ Apostasiæ coërceantur.

Clem. VIII.

B. Ladisl. Polon. 1640.

II. Patres Guardiani non concedant suis Subditis licentiam ad alios Conventus, aut extra Quæstæ suæ limites exeundi, nec ipsimet exire possunt, sine licentia in scriptis A. R Patris Ministri. Quos seriò monemus, ne præter manifestam necessitatem, pro suo libitu, sub prætextu

B. Ladislaus

Polon. 1726. quærendæ elëemosynæ extra Conventum sæpiùs divagentur, sed Ecclesiæ, ac Regimini Subditorum suorum, prouti Pastores, Trident. Sess. 25. c. 6. de Reform. diligentèr invigilent, Chorum freqventent, & uti decet, regularem promoveant disciplinam. Negligentes, & vagabundi, uti mortaliter contra Canones peccantes, à gubernio degradentur, & deponantur, ac ad illud inhabiles perpetùo maneant.

De Fratribus infirmis.

I.

CVm ad omnem possibilem Charitatem, Infirmis Fratribus exhibendam, ex Regulæ Sanctæ præcepto, omnes Rom, 1612. teneantur, potissimùm tamen Superioribus incumbit, ut de Infirmis sæpiùs invisendis sollicitam curam gerant, de extraordinario, & competenti victu, medicinis, aliisqve ministeriis exhibendis submini strent, quatenùs habeant in omnibus satisfactionem, prout ratio postulaverit, & per facultates licuerit. Proindè si aliæ communes elëemosynæ ad satisfaciendum infirmis non sufficiant, licitum sit cum Consilio tamen Discretorum, etiam supellectilem Ecclesiasticam oppignorare. Superiores defectuosi, ac crudeles, Officio priventur, & graviùs pnniantur, uti Regulæ, ac Præcepti Divini, & naturalis transgressores.

Toletan. 1643. II. In unoquoqve Conventu deputetur congrua pro Infirmis Stubella, quæ sit necessariis, utpote lectisterniis mollioribus, tecturis, pulvinaribus, linteaminibus, sudariis, & tunicellis subtilioribus bene provisa, sub iisdem pœnis. B. Ladislaus. Moneantur tamen infirmi, ne unquàm sine Capucio, (nisi aliter à Medicis ordinetur,) decumbant. Infirmis, qui ex

ex Cellis exire nolunt, aut Medicis non obtemperant, vetita appetendo, Superiores providere non tenentur, nisi sint Patres Stubellas privatas habentes, vel Febri acutâ laborantes, ac mentis delirium patientes. Morbum fingentes, & in Infirmaria locum occupantes, testimonio Medici convicti, ad communem Mensam expediantur, & abstinentiâ sanentur, & parsimoniâ victûs coërceantur. Polon. 1488.

III. Fratres Infirmarii â Superioribus Localibus deputentur, & ad id munus aptiores eligantur, qui ità Infirmis inserviant, sicuti sibî serviri vellent. Ab hoc eximiæ Charitatis Officio se excusantes, vel in injuncto munere negligentes, graviter puniantur. Si Infirmis aliqvid comestibile, aut potabile offeratur â Benefactoribus, sit de licentia Superioris, qvæ non per famulum, sed per Fratrem ad Infirmariam deferantur. Omnes, & singuli Patres, ac Fratres, â Superiore incipiendo, bini, & bini quotidiè pro visitandis Infirmis ad Mensam communem in prandio nominentur, qvi colloqviis spiritualibus illos consolari, pro ipsis exorare, & quidquid est Officii Charitatis, eisdem exhibere curabunt. Fastidiosi tamèn Visitatores conventicula clamorosa, aut prolixa colloquia protrahentes, ab Infirmario Superiori deferantur, pôenâ disciplinæ puniendi. Polon. Antiq. B. Ladisl.

Forma Absolutionis Plenariæ, Religiosis, Tertiariis sæcularibus, & Chordigeris, in extremis constitutis, vigore Privilegiorum elargiendæ.

FActâ Confessione, & dictis: Misereatur tui &c. & Indulgentiam, absolutionem &c. dicatur.

DOminus noſter JEſus Chriſtus, per merita ſuæ ſacratiſſimæ Paſſionis, te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat, & ego auctoritate ipſius, ac beatorum Apoſtolorum, Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, ſi quod incurriſti, & reſtituo te unioni, & participationi Fidelium, necnon ſanctis Sacramentis Eccleſiæ. Item, eàdem auctoritate, quatenùs ad præſens forum ſpectat, Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis, tibiqve relaxo omnes pœnas Purgatorii, qvas pro peccatis commiſſis meruiſti, concedens tibi remiſſionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, & reſtituo te illi ſtatui innocentiæ, in qvo eras, quando baptizatus fuiſti. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen.

Qvod ſi hac vice non deceſſeris, reſervo tibi gratiam usqve ad extremum mortis tuæ articulum.

Theatr. Regular. Verb. Abſolutio. n. 18.

Hoc Privilegium Indulgentiarum in mortis articulo hac conditone, & onere, â ſummis Pontificibus conceſſum fuit, ut, qvi legere ſciunt, Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis Omnium Sanctorum, Verſibus, & Orationibus annexis, dicant toties, qvot ſunt hebdomadæ in anno, videlicèt qvinqvaginta, & duabus vicibus. Qvi verò legere neſciunt, debent alia pia opera ad arbitrium ſui Confeſſarii facere.

De Hoſpitibus.

I.

Rom. 1603.

IN quolibet Conventu ſint Foraſteriæ pro recipiendis Fratribus, aliisqve Hoſpitibus, lectisterniis, tecturis aliisqve neceſſa-

necessariis instructæ, & assignetur unus ex Fratribus, qui Hospites charitativè excipiat, & Forasteriæ munditiei curam habeat. Nullus Patrum, & Fratrum, ex Forasteriis, sicùt & Infirmariis, qvidqvam ad usum suum accipiat, sub pœna restitutionis, & proprietatis. Hospites, sive sint Fratres nostræ Religionis, sive alterius, charitativè recipiantur, debitisqve Charitatis Officiis, ac ferculis extraordinariis, prout per facultates licuerit, tractentur, sub pœna arbitraria, Superioribus in his negligentibus infligenda. Hospites Nostri Ordinis triduò jure hospitalitatis gaudent, qvo elapso ad Chorum tenentur. Polon. 1583.

II. Pro antiqva consvetudine Provinciæ ad lavandos pedes Fratrum Hospitum, pedester venientium, signo Campanellæ Refectorii omnes convocentur post Cœnam, sive Collationem. Pater Vicarius cum Exceptore Forensium huic Officio invigilabunt, necessaria subministrantes. Interim Fratres, Magnificat, vel aliquid ex mandato Cœnæ Domini decantabunt, aliis in lavandis pedibus Hospitis, & abstergendis, sese prævenientibus. Qvo finito, tàm Hospes, quàm lavans, expansis manibus, opus suum Domino brevitèr commendabunt. Vicarius in his negligens, pœnâ arbitrariâ puniatur. Nullus se ingerat in tractandis Hospitibus, præter Exceptorem Forensium, & Patres, vel Fratres à Superiore designatos, sub pœna disciplinæ. Ibidem.

III. Religiosæ Honestati, & paci consulendo, statuitur, ne Sæculares ad Dormitorium, aliasqve Officinas, multominùs ad Cellas Fratrum admittantur, aut in iisdem tractentur. Item. Ne Pueri in Conventibus foveantur, per qvos ut plurimùm Secreta Religionis ad extrà publicantur; Nec Fratribus inserviant, exceptis Sacristiæ Adjutoribus, qvi tamen extra Conventum dormiant, & maneant. Proindè Polon. 1640. Ibidem 1695.

Ibidem, 1626. indè Superiores Locales ad ejusmodi abusus eliminandos curare debent, ut omnes Januæ, sive fores Refectorii, & Dormitorii, per quas possit patere aditus Sæcularibus ad interiora Claustri, omninò obseratæ maneant, â qvibus omnes & singuli Fratres Claves communes habeant. Superiores contravenientes, vel pueros foventes, ab Officio suspendantur; Fratres verò similia facientes, vel Sæculares intrò admittentes, & cum illis in Cellis sæpius confabulantes, gravitèr puniantur, & incorrigibiles de loco confusibiliter expellantur.

CAPVT VII.

De Sacra peccatorum Confessione, Culparum Recognitione, & Pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

I.

Vallisolet. 1593. CUm qvilibet proprio Sacerdoti confiteri teneatur: & proprii Sacerdotes in Ordine tantum modo sunt Prælati deqvorum Numero Gvardiani censentur, idcirco ipsi soli Fratrum Confessiones audire possunt, & à peccatis absolvere de lege Ordinaria. Cæteri verò Patres ad ejusmodi munus minimè idonei reperiuntur, nisi ab A. R. Patre Ministro Provinciali, vel Vicario Provinciæ, prævio debito examine approbentur & facultatem in scriptis accipiant. Salmant. Cap. 7. Proindè omnes Patres ac Fratres Prælatis suis vel alteri Sacerdoti Ordinis ut supra approbato, bis aut sæpius in Hebdomada confiteri teneantur.

II. De-

II. Declaratur qvod Patres Vicarii ex vi Officii sui, qvamdiu illud retinent, sint pariter Ordinarii Confessores Fratrum, qvibus ex immemorabili Provinciæ consvetudine Fratres Clerici ac Laici Professi juniores confiteantur, (Novitiorum enim Confessiones Patri Magistro incumbit excipere) nisi specialem à suo Superiore ad alios Patres pro Fratribus approbatos accedendi & confitendi habuerit licentiam. Debet enim Superior Loci, sivè alius major Prælatus, quando petunt, eisdem alium ex approbatis Confessorem concedere, ne in Majora conscientiæ labantur discrimina, prouti defacto qvinqve vicibus in Anno, nempè Die Cinerum, in Festo S. Bernardini, Portiunculæ, Sancti Patris Francisci, & Sanctæ Catharinæ V. M. Confessori extraordinario, qvem sibi ex approbatis ut supra, elegerint, habeant licentiam confitendi, & ab omnibus Casibus, etiam reservatis (his duntaxat diebus) ab eodem absolvi in foro Conscientiæ. Declaratur insuper qvod absolutio in foro Conscientiæ obtenta, correctionem Judicialis fori, si crimen legitime probatum fuerit, impedire non debet. Polon. Antiq. Salmat. c. 5.

III. In unoqvoqve Conventu, præter Gvardianum & Vicarium, qvibus à Capitulo conceditur facultas etiam à Reservatis, ratione sui Officii, tres, vel plures Confessarii prudentes, , ac in Regulari Observantia probati, ab A. R. Patre Ministro assignentur, qvibus detur licentia absolvendi Fratres à Casibus reservatis in Ordine; Qvæ facultas à Reservatis tamdiu duret, donec à Concedente, vel ejus Successore revocata non fuerit, aut cum Officio Gvardianatûs, vel Vicariatûs, (si illi præcise erat adnexa) non exspiraverit. Examen Confessariorum tàm qvoad Sæculares fiat ab A. R. Patre Ministro Provinciali in Canonicis Visitationi- Clem. VIII. Salmant. c. 7. Clem. VIII.

Salmant. Rom., 1585. bus, unâ cum duobus Examinatoribus ab eo assumptis. Et ne iidem Confessores otio delitescant, declarantur â Venerabili Diffinitorio Examinatores Ordinarii eorundem, Patres ExMinistri, & Sacræ Theologiæ Lectores Jubilati, unà cum duobus Discretis qvoad Conventus, ubi residenț: ac Patres Sacræ Theologiæ Lectores Generales uti & Actuales; Item Lectores Philosophiæ, ac Casuum Conscientiæ qvoad Polon. 1726. suos duntaxat Studiosos respectivè, nisi eisdem qvandoqve etiam qvo ad alios Patres Confessores examen ab A. R. Patre Ministro specialiter demandetur.

Polon. 1708. IV. Vltra prædicta, qvâlibet Qvintâ Feriâ, non impedita Festo ad populum, alias diè Sabbathi proponantur ad ad mensam Casus tres ad resolvendum, quos Patres Prædicatores in locis Particularibus, & Lectores Tertii in Studiis Theologicis, ac Primi Philosophiæ tempestivè exponant, & illi resolvant, nisi adsit præsens Pater Provinciæ, cui pro principali hoc munus resolvendi competit. Dum Casus Polon. 1708. proponuntur Novitii finitâ sua refectione à mensa exeant.

V. Ad præcludendam viam ambitionis, statuitur, ut ab hinc nullus in posterum ex Patribus ad Confessarii Emeriti titulum promoveatur, aut illo condecorari valeat à Capitulo vel Congregatione Provinciali, nisi prius in aliis Offi-Polon. 1726. ciis, uti Gvardianatûs, Lectoris Philosophiæ, aut scriptoris Archivii Provinciâ, aut aliqvo alio publico Provinciæ negotio, per integrum Sexennium laudabiliter se se gesserit.

Clem. V. Compend. Privileg. Verbo VI. Confiteri extra Ordinem, præterqvam in necessitatis articulo, & tunc de licentia Superioris, per Apostolicas Constitutiones Fratribus expresè prohibetur. Proindè itinerantes, vel ad Fratres Reformatos pro facienda Confes-

fessione se conferant, vel licentiam petant in omnem eventum, qvam etiam Superiores Locales justa de Causa concedere habeant potestatem. Si tamen in aliquem Reservatum inciderint, ac ab aliis, qvàm à Reformatis in necessitatis articulo absoluti fuerint, tenentur proprio Sacerdoti eundem Casum, (qvamprimùm poterint,) confiteri pro accipienda absolutione. Et ne ignorantia legis occasionem præbeat delinqvendi, adnectuntur Casus in Ordine Nostro Reservati.

Absolutio qvoad Fratres.

Sanctorius Comm. c. 7.

Tabula Casuum Reservatorum, qui Generali, aut Provincialibus Ministris ex Generalibus Ordinis Constitutionibus reservantur.

I.

NOmen DEi, aut Domini Nostri JESU Christi, aut DEI paræ Virginis MARIÆ blasphemantes.

Vallisolet. 1593. Salmant. c. 7. & 10. & ex aliis pluribus Generalibus Constitutionibus.

2. Rebus Sacris abutentes.

3. Qvidqvam in Religionis detrimentum, extra Religionem patefacientes.

4. Discordias Patrum, vel depositiones Prælatorum manifestantes.

5. Calumniam in Judicio cuiqvam imponentes, vel ad id faciendum inducentes.

6. Falsò, ac scientèr, qvempiam accusantes, & accusantem revelantes.

7. Falsum testimonium deponentes, vel deponendum procurantes, aut alium qvomodolibèt infamantes.

8. Jurati veritatem negantes, & falsum affirmantes.

9. Ter debitè moniti obedire renuentes.

10. Consummatum carnis peccatum quodcumqve admittentes.

11. Denarios contra Regulam accipientes, tenentes, & asservantes.

12. Rei Sacræ, vel notabilis, furtum perpetrantes.

13. Religionis bona extra Ordinem dono dantes.

14. Fratribus, vel Sæcularibus vendentes, vel qvôvis alio modo alienantes,

15. Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretariorum literas, tùm missas, tùm accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, vel qvomodolibèt intercipientes.

16. Sigillum Ordinis, vel cujusvis alterius Prælati, aut Personæ notabilis, falsificantes.

17. Libellum famosum facientes, fieri procurantes, inducentes, consulentes, projicientes, vel publicantes.

18. Gravitêr qvempiam percutientes, aut contra Prælatos machinantes.

19. Carnes, cùm Ecclesiæ præcepto, vel Regulæ, vetitum fuerit, comedentes, nisi scriptam facultatem ob necessitatem à Superiore anteà impetraverint.

Clem. IV.

V. Ex Apostolica concessione possunt Ministri, eorumqve Vicarii, Fratres sibi commissos, vel ad eos undeqvaqve declinantes, ab omnibus Casibus, in quos inciderint, sive ante, sive post ingressum Ordinis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis (Hæreticis relapsis, Schismaticis, Literarum Apostolicarum Falsificatoribus, ad partes Infidelium prohibita deferentibus, Bigamis, & Homicidis voluntariis exceptis,) absolvere, & etiàm à qvibusvis Sententiis Excommuni-

Compend. Privileg.

municationis, Suſpenſionis, & Interdicti, à Jure, vel ab homine generaliter promulgatis, & diſpenſare in irregularitatibus propter dictas Sententias, aut ob celebrationem Divinorum in locis interdictis, vel ob ſuſceptionem Ordinum cum prædictis Cenſuris contractis: Sicut & ab iisdem Caſibus à propriis, qvos ſibi elegerint, Confeſſariis diſpenſari, & abſolvi.

VI. Ab Excommunicatione, contracta ob violentam manuum injectionem, poſſunt Gvardianus, vel in ejus abſentia per diem naturalem, Vicarius abſolvere, ſi A. R. Patris Miniſtri præſentia intra triduum haberi non poſſit. Hoc tamen de injectione, ſive percuſſione atroci vel Subditi in Superiorem non eſt intelligendum. Si qvis autem alicujus criminis reus, ac pœnitens, faciem Prælati ad coram, vel ſcripto, anteqvàm de crimine accuſetur, præoccupaverit, conceditur A. R. Patri Miniſtro, ut de plenitudine poteſtatis Fratrem pœnitentem qvoad forum externum qvietare queat, aliâ qvâcunqve pœnitentiâ ſalutari, & minùs confuſibili, eidem impoſitâ. Qvod tamen de primo recurſu intelligendum, non verò de recurſu recidivantium, qvibus eadem gratia non convenit, ac de crimine ſine publico ſcandalo Sæcularium commiſſo. Salmant. c. 7. Ibidem.

VII. Confeſſarii Sæcularium, moribus graves, & in Caſibus Conſcientiæ verſati, prævio examine inſtituantur, qvi triginta annos ætatis exceſſerint, qvod etiam in Confeſſariis Fratrum requiritur. Nec prætextu Confeſſionis morentur in Confeſſionalibus, colloqvia protrahentes cum fœminis, ſub pœna carceris, & confuſibilis expulſionis de loco. Confeſſores paternè & modeſtè recipiant pœnitentes, & prudenter in inquirendis peccatis, ac eorum circumſtantiis Rom. 1612. Paulus. IV.

Vallisolet. 1693. Polon. 1589. & 1640. stantiis se gerant, sub pœna Suspensionis ab Officio. Qvi pœnitentem verbis indignis tractaverit, sive scandalizaverit, vel peccata in Confessione audita directè, vel indirectè revelaverit cum fractione Sigilli, ultra pœnam perpetuæ Suspensionis ab audiendis Confessionibus, Superioris arbitrio carceri mancipetur, & inhabilis ab omnia Officia Ordinis perpetuò existat. Confessores, qui subterfugiunt, & se difficiles reddunt ad audiendas Confessiones disciplinâ, ac privatione primi ferculi compellantur. His correcti, & non se emendantes, Officio priventur, ac ultimum locum inter Sacerdotes teneant.

Ibidem. 1726.

De Culparum Recognitione.

I.

Vallisolet. 1593. JVxtà antiquam, & laudabilem consvetudinem, Fratres Novitii, ac Laici Professi, qvi septennium, Clerici item, ac Novelli Sacerdotes, qvi qvinqvennium in Sacra Religione non compleverunt, qvâlibet Secundâ, Quartà, ac Sextâ Feriis, (Festo primæ, & secundæ Classis, ac celebri ad populum, exceptis,) ad Mensam Refectorii Culpam generalem recognoscant, coram Superiore Loci genuflexi, qvibus tria Pater, & Ave, injungat Prælatus pro salutari pœnitentia. Ultrà hoc, singulis Quatuor Temporibus, Noviciis Pater Magister, Professis verò Fratribus Laicis, Clericis, ac Novellis Sacerdotibus, sive in Studiis, sive in Seminariis, sive alibi in locis particularibus manentibus, Pater Lector primus, vel Vicarius respectivè alias mortificationes proportionales, uti fræni lignei, velationis oculorum, mendicationis &c. pro suo zelo assignent. Hæc facere recusantes,

Polon. Antiq. B. Ladisl. 1588.

tes, in domo disciplinæ per triduum includantur, ac jejunio macerentur, donec humilitati assuescant.

II. Prima Feria Sexta cujuscunqve Mensis, festis celebribus, & Solennioribus, ut suprà, non impeditâ, pariter in Refectorio omnes Patres, ac Fratres suas Culpas recognoscant, & primò Novicii, si adsint, qvibus factà à Superiore aliquâ parvâ Spirituali exhortatione, prointerim abeant de Refectorio. Posteà verò Professi ordine suo genuflectant, qvibus Superior secundùm singulorum defectus, vel merita, salutares dabit admonitiones, vel gratias pro benefactis rependet, ac communes defectus brevitèr, sine tamen prolixis homiliis reprehendet, & de remedio opportuno admonebit, tria Pater, & Ave, pro pœnitentia singulis injungendo. Superiores in his exeqvendis delinqventes ab A. R. Patre Ministro puniantur. Rom. 1603. Salmant. c. 5. B. Ladisl. ut supra

III. In Culpis tamen particularibus, quas delinquentes specialiter recognoscere tenentur, possunt Superiores, defectuosos, potissimùm consuetudinarios seriò monere, & corrigere, ità tamen, ut & correctio fraternæ Charitatis metam, & pœna injuncta culpam non excedat. Fratres non solùm de negligentiis in Divinis, sed etiam de domesticis, ac foraneis defectibus culpam faciant. Ad eandem obligantur, qui ex incuria, aut negligentia amiserint, fregerint, destruxerint aliqvid ex rebus Communitatis, sive suo usui concessis, vel Commissis Custodiæ suæ, & si ex malitia id fecerint, gravius pro qualitate delicti puniantur. Pro Crimine verò Notorio, pro qvo gravior pœna, carceris v. g. aut privationis Officii injungenda præscribitur, Superiores Locales quamprimùm A. R. Patrem Ministrum prænoneant ut ipse disponat id, qvod magis expedire arbitrabitur. Et si periculum Polon. 1640. Salmant. c. 7. Vallisolet.

lum majoris scandali, vel fugæ in mora timeatur, inito cum Discretis consilio, delinquentem vel suspendant, potissimùm à Confessionibus audiendis, si id meruerit, vèl etiam, pro alio delicto enormi, ad carceres (non tamen sine capucio) pro custodia servent, qvem liberare absqve declaratione Superioris provinciæ, vel â pœna sublevare non poterint.

De Pœnis pro varietate Culparum imponendis.

I.

Vallisolet. PRivatio Juris Suffragiorum, sive, quod idem est, Vocis activæ, & passivæ est pœna in ordine ad ferenda suffragia, ac consequenda ab aliis, ita, ut privatus nec eligere, nec eligi possit ad quodcunqve Officium Ordinis, ut Ministeriatûs, Diffinitoratûs, Gvardianatûs; potest tamen sic privatus ad Sacros Ordines promoveri, & qvos habet, exercere, prædicare, legere, sive docere, Confessiones audire, suffragari, pro Noviciis, ac illorum Magister, vel Monialium Confessor fieri.

Salmant. c. 7. II. Privatio actuum legitimorum, est inhabilitatio passiva ad omnia Ordinis officia, quæ cum dignitate sunt conjuncta, potest tamen sic privatus omnia supradicta exercere, non tamen Discretus esse aut Vicarius.

Rom. 1642. III. Privatio Officiorum Ordinis, est inhabilitatio non solùm ad omnia suprà expressa, sed etiàm ad Confessarii, Magisteriatûs, Prædicationis, Lecturæ, Paternitatis, & Visitatoris munera obeunda.

IV. Car-

IV. Carceris pœna, & quidem formalis, est reclusio alicujus in aliquo loco obserato sine caputio, & Chordâ, Generalis, aut Provincialis authoritate facta, & consequentèr est actuum legitimorum privatio. Vnde qvamvis aliquis sic incarceratus liberetur à carcere, non intelligitur tamen ad actus legitimos restitutus, sed id fieri debet in Capitulo, vel Congregatione. Vnde advertant Superiores Locales, quòd licet in gravibus excessibus, si qui occurrerint, suos Subditos de consilio Discretorum, ac realitate delicti existente, incarcerare valeant ad custodiam, vel arctationem; Illis tamen caputium auferre non possunt, propriâ authoritate, sub pœna Excommunicationis, & privationis actuum legitimorum; Quam pœnam incurrunt indebite quempiam carcerantes. Carceri verò formali nemo potest mancipari, nisi pro notorio, manifesto, & enormi delicto, juridice probato, qualia sunt, Perfidia, Hæresis, Inobedientia contumax, Proprietas notabilis, furtum rei Sacræ, lapsus carnis, ac alii Casus superiùs Reservati, & pro quibus in Statutis pœna carceris injungitur. Ibidem

V. Ad perpetuos carceres nemo condemnetur, nisi ob atrocia, scandalosa, enormia, vel iterata delicta, ac incorrigibilitatem in illis, idqve servato ordine Juris, ut Reus à testibus idoneis sit convictus, vel crimen sit de se notorium, ac reus habeat locum audientiæ, & defensionis. Ejusmodi verò Crimina sunt omnia illa, pro quibus in Sæculo ad mortem Reus damnari deberet, aut ex Ordine expelli. Item. Apostasia à Fide, vel a Religione, gravissima recidivorum: Homicidium voluntarium: Gravis percussio Prælati, aut atrox alterius Fratris iterata: Incendium voluntarium: Furta sacrilega rei notabilis iterata: Lapsus carnis sine emen- Salmant. c. 7.

datione scandalosus, & alia ejusmodi, â Capitulo, vel Congregatione Diffinitorii trutinanda.

Ibidem. VI. Ad perpetuos Carceres damnati, Sacramentum Eucharistiæ in Die Resurrectionis tantummodò sumant in Infirmaria, vel in aliqvo loco honesto collocati, abrasâ barbâ, & tonsis de more capillis; Si verò Pœnitentiæ Sacramentum aliquandò petierint, id eis non denegetur. Tales quàlibet Secundâ, Quartâ, & Sextâ Feriâ, in pane & aqua omninò jejunent; Qvibus Breviarum ad dicendum Officium concedatur, cùm non excusentur ab Obligatione persolvendi Officii. Liberans aliqvem è Carcere, vel ad illius fugam consilium, sive auxilium præbens, vel si Custos carceris in id consenserit, postquàm legitimè de malitia constiterit, carceribus ad arbitrium Provincialis mancipetur. Qvod si Gvardianus, sive Vicarius, dolo, aut negligentiâ particeps esse convictus fuerit, Officio priventur, & graviùs etiam Superioris arbitrio puniantur.

VII. Arctatio, est reclusio alicujus in carcere, sive in domo disciplinæ cum Chordâ, & Caputio. Qvo tempore Arctatus ter in hebdomada disciplinam faciat ad Mensam Refectorii, & in pane, & aqva jejunet. Durabit autem Arctatio juxtà Culpæ proportionem, & beneplacitum Superioris.

Rom. 1642. VIII. Suspensio, est amotio alicujus ab officio, qui suspensus nullo modo relevari potest, nisi authoritate Generalis, vèl Capituli, aut Congregationis Provincialis: Aliquandò idem est ac privatio. Provinciales, ac Provinciarum Visitatores, Gvardianum Officio privare non possunt, sine consensu Diffinitorii, & prævio processu. Suspendere tamen

Salmant. Cap. 8. Vallisolet.

tamen ex legitima causa usque ad decisionem Diffinitorii valent.

IX. Excommunicatio est pœna, & Censura Ecclesiastica, qvâ quis legitimâ Superioris Authoritate fidelium communione, & Sacramentis privatur. Censuram hanc ferre A. R. Pater Minister, Visitator, vel eorum Delegati, item, Guardiani in suis Conventibus habent potestatem, non levi de causa, sed cum magna circumspectione, & ob grave peccatum. Trident Sess. 25. c. 3. de Reform.

X. Nullus Inferior pœnas, â Superioribus impositas, ac declaratas alterare, immutare, vel diminuere potest, sub iisdem pœnis per Superiorem sibi infligendis. Pœnas verò ab inferioribus impositas Superiores non remittant, nisi prævià maturâ deliberatione, ac ex Causa publicæ utilitatis. Salmant. c. 7.

Apostatarum Pœna.

I.

QVamvis ex Communi Jure, Nostriqve Ordinis Constitutionibus certum sit, Religiosum qvi sine Facultate legitima, sive cum habitu & Socio, sivè absqve illis etiàm cum prætextu ad Superiores accedendi, de Conventu recesserit, Apostatam esse, quia tamen in Apostasia gradus reperiuntur, proindè & pœnæ diversæ per Statuta Generalia taxantur.

II. Qvi sine licentia egrediens, eadem die ad Conventum regreditur, qvod est levissimum Apostasiæ genus, per diem carceretur, & per Annum voce Activa & Passiva privetur. Vallisolet. 1593.

privetur. Qvi vero cum licentia exiens extra Conventum in aliqvo loco, etiamsi Ordinis Nostri fuerit, sine licentia, aut necessitate pernoctaverit leviorem incurrit Apostasiam pro qva biduò est carcerandus, & biennio jure Suffragiorum privandus.

Ibidem. III. Qvando aliquis ex Conventu egressus sine Superioris licentia tacita vel expressa, & per diem Naturalem tantum extra moratus fuerit, Is in levem Apostasiam incidit, cujus pœna est trium dierum incarceratio, & Suffragiorum Juris per triennium privatio. Ejusmodi Apostasiæ reus decernitur, qvi prætextu ad Superiorem accedendi sine licentiâ egressus, recta coram Superiore se sistit. Qui vero sine necessitate alio, vel alia via vadit, quam sibi per facultatem liceat, quiqve tempus in facultate præscriptum excedit, qvi ve sine Socio de loco ad locum absqve licentiâ proficiscitur, in Apostasiam gravem, vel levem, & in earum pœnas judicio Superiorum incidat.

Ibidem. IV. Cum recidivis autem, & supra dictos Apostasiæ gradus multiplicantibus, duplicari & multiplicari debent pœnæ. Cui autem privatio Suffragiorum non convenit, pro qvolibet Anno privationis, deferat Caparonem per mensem.

Ibidem. V. Morans triduo extra Conventum, etiamsi ad Superiorem accessum prætendens, si sine licentia egressus fuerit in gravem incidat Apostasiam, & pro prima vice triduo incarceretur Suffragiorumqve Jure triennio destituatur, ac semel ad publicam Mensam in pane & aqva jejunet. Secunda vice duplicentur eidem supradictæ pœnæ ac ultra has, caparonem per tres Menses deferat, ultimumqve locum in

in ſuo Ordine habeat. Si tertio & quarto in idipſum prolapſus fuerit in graviorem vel graviſſimam pœnam incidat, ac ſpatio unius anni, vel longiori tempore pro modo Apoſtaſiæ, qvotidiè culpam in Refectorio recognoſcat.

VI. Si qvis autem extra Conventum per Octo dies moram traxerit, gravioris Apoſtaſiæ reus declaratur, & per tres menſes carceribus mancipari debet, ac ſuffragiorum Jure ſexennio deſtituatur. Relapſo duplicentur pœnæ, & probationis ſignum per Annum deferat, ac ultimum locum in ſuo ordine teneat. Triplicans verò ejusmodi Apoſtaſiam Suffragiorum jure perpetuo careat, & per Annum incarceretur, ac diſciplinam ſingulis ſextis Feriis in Refectorio faciat, in aqua & pane jejunando, ultimumqve locum in ſuo Ordine teneat, ac Caparonem per Annum deferat, cui privatio non competit, Nec unquam de Conventu mittatur, niſi ad publicas Proceſſiones, cui Conventus pro Carcere ſit. Quartâ vice Apoſtaſiam hanc itirans ad arbitrium Superiorum gravioribus pœnis mulctetur. Ibidem. Rom. 1565.

VII. Qui ultrà hæc habitum etiàm dimiſerit & intra duorum Menſium ſpatium reverſus non fuerit, vel etiam non dimiſſo habitu, ultra duos Menſes in Apoſtaſia perſeveraverit, graviſſimæ Apoſtaſiæ reus decernitur, qui pro prima vice puniri debet carcere trium Menſium, delatione Caparonis per triennium, & hoc tempore ſingulis Feriis ſextis in publico Refectorio ſine Caputio in aqua & pane jejunare debet, voce Activa & Paſſiva per decennium privatus ac ad ultimum locum in ſuo Ordine degradatus, cui pro Carcere Conventus ſit extra qvem dimitti non poteſt, niſi publicæ utilitatis vel proceſſionis gratiâ. Secundo eandem Apoſtaſiam committenti duplicentur pœnæ, tertiò recidivans Ibidem

ex Ordine (ſervatis de jure ſervandis) uti incorrigibilis expellatur.

VIII. In graviori autem & gravisſima Apoſtaſia, cui privatio Vocis Activæ & Paſſivæ applicari non poſſit, in qvotidianam ſuæ culpæ Confeſſionem ad Menſam Refectorii ac diſciplinam ſingulis Feriis ſextis faciendam ſpatio duorum vel qvatuor annorum reſpective, pœna commutetur. Qui à Superiore Generali, licentiam eundi extra Provinciam obtinuerit illam intra duos menſes exequatur, alias his elapſis nulla ſit, & qui ea poſtmodum utitur, gravem vel
Rom. 1639. graviorem Apoſtaſiam incurrat, ab hac lege Commiſſarii Viſitatores Provinciarum excipiuntur.

IX. De Apoſtatis eorumqve qvalitatibus A. R. Pater Miniſter Reverendiſſimum Generalem ac Procuratorem Ordinis vel Commiſſarium Curiæ qvantocyùs præmoneat, ut
Salmant. c. 2. ad propria redire cogantur. Prout ipſimet Miniſtri alienæ Provinciæ Apoſtatas, uti & Superiores Locales, qvoscunqve ad ſuos Conventus venientes, ſub privationis ſuorum
Valliſolet. officiorum pœna retinere in Provincia vel Conventu non
1593. poſſunt, ſed eosdem ſolemnitèr modo infra ſcripto abſolutos, ac in carcere per triduum detèntos cum literis teſtimonialibus ad propria remittere debeant, vel ſuos Superiores de eorum permanentia (ſi fugæ vel divagationis pejoris ſuſpicio adſit) præmonere, ut illi de opportuno remedio errabundos reducendi provideant.

X. Nemo in Noſtra Provincia incorporari valet, nec alibi, & potiſſimum in Poloniæ Regno, absqve expreſſa licentia Superioris Generalis, Taliter incorporati non a die
Rom. 1639. Suſceptionis habitus ſed à tempore incorporationis ſuæ locum & præcedentiam habeant in eadem Provincià.

XI.

XI. Ad Superiorem Generalem vel ad Curiæ Officialem recurrentes Apoſtatæ, & ibidem puniti, ac abſoluti, non cenſentur ab aliis delictis, ſi quæ ante, vel in ipſa Apoſtaſia commiſerunt immunes, Itaqve in reditu, pro illis puniri debent, etiam ſi literas recommendatorias ſecum deferant, ſpeciales enim defectus ſuis Ordinariis reſervantur, niſi aliud Generalis ipſe ex plenitudine poteſtatis decreverit. Qvi verò literas teſtimoniales abſolutionis ab aliquo Superiore non habent cum redierint publicè uti Apoſtatæ modo infra ſcripto abſolvantur, & alias pœnas luant pro modo Apoſtaſiæ. Sàlmant. c. 2.

XII. Superiores qvicunqve curare debent, ne per ſuàs Provincias vel Conventus Apoſtatæ vagentur, ſed eos capi facere teneantur, quam primum poterint, ſivè per Fratres, ſive per alias Perſonas idoneas, ad qvod munus tam reſpectu ſuorum ſubditorum, quam aliorum Apoſtatantium, habent a ſede Apoſtolica plenariam facultatem, etiam adhibito brachiò ſæculari vel per alia opportuna Juris remedià, ſi apoſtatæ pœnas latas ſubire, vel ſe capi, ac incarcerari recuſent. Salmant. c. 2. Valliſolet. 1593

XIII. Apoſtatæ omnes etiam poſtquam redierint & in qvacunqve Provincia reperiantur, ad aliquod Officium, niſi per decem Annos poſt Apoſtaſiam laudabilitèr & Religiosè vixerint, promoveri non poſſunt. Poteſt tamèn pro ſua miſericordia in his pœnis Generalibus, ubi Perſonæ qualitas, & emendationis ſigna ſvadent, medietate pœnitentiæ jam peractâ, Capitulum Provinciale per Suffragiorum Secretorum Majorem partem (ſi benè viſum fuerit,) diſpenſare.

Forma Absolutionis Apostatarum.

APostatæ omnes, (cum ad obedientiam, vel pœnitentiam qvomodocunqve redierint) coram Fratribus Superioris mandato congregatis, suisqve in locis stantibus constituti, disciplinam faciant per Psalmum: Miserere, ac sine Chorda, & Caputio (exceptis illis, qvi leviorem vel levissimam Apostasiam incurrerunt, qvibus Chorda, & Caputium non adimatur) genuflexi in culpa absolvantur solemniter à suo etiam Superiore Locali, cui hoc in passu datur, facultas, sine chorda & Caputio apostatas absolvendi, & carcerandi.

Kyriè eleyson. Cæteris respondentibus. Christe eleyson Kyriè eleyson. Et dicto. Pater Noster, sub silentiò, intelligibili voce seqventes Versus dicantur cum sua Oratione.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum N. N.

N. N. qvem apoſtaſiæ ſententia ligat, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. R. Amen.

Deinde idem ipſe Præſes Apoſtatam abſolvat, ſub ſeqventi forma:

AVctoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Prælatorumqve noſtri Ordinis, mihi in hac parte commiſſa, ego te abſolvo ab hoc vinculo Excommunicationis, qvô teneris, & ligaris per apoſtaſiam: & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium: diſpenſando tecum in omni ſententia irregularitatis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſi qvâ exindè innodatus teneris. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Abſolutionis Forma ex Neapol. c. 29.

Inobedientium Pôena.

I.

INobedientium pœna eſt carceratio, ac conſequenter actuum legitimorum privatio, ſi debitè moniti in contumacia perſeveraverint. Dicitur autem quis contumax, quando trinâ monitione præmiſsâ, per diem naturalem congruis intervallis inobediens extiterit: Vel quando ità pertinaciter recuſat Superiori ſuo obedire, ut Diſcretorum conſilio, carceribus mancipari videatur. Qvi Commiſſario, ſive Viſitatori â Superiore Generali miſſo, reſiſtere, contradicere, ſe opponere, aut rebellem exhibere, ne ſuo Officio fungatur, præſumpſerit, ipſo facto Excommunicationis Sententiam incurrat, â qva nonniſi â Romano Pontifice extra mortis articulum abſolvi poſſit, nec non privationis Officiorum, & inhabilitatis ad ea, ac vocis activæ, & paſſivæ pôenâ mulctetur. Salmant. c. 7. Valliſolet. 1593. Greg. XIII. c. Qvoniam noſtro.

Rom. 1575. Valliſolet. 1593.

II. Qvi A. R. Patri Miniſtro, Vicario, vel Commiſſario Provinciali non obedierit, aut injurioſis, ac irreverentibus verbis quempiam illorum publicè affecerit, ultrâ pœnam Excommunicationis, eisdem reſervatam, ſuffragiorum Jure, ſeu, voce activâ & paſſivâ per ſexennium careat, & ſemeſtri carceri mancipetur.

Polon. Antiq. Valliſolet.

III. Ut nocivis ſubterfugiis pœnas evadendi præcludatur via: Decernitur, qvod delinqventium correctio usqve ad adventum A. R. Patris Miniſtri, vel Viſitatoris non differatur, ſed Superiores Locales poſſunt, & debent, (Patribus Provinciæ, Ex-Miniſtris, Lectoribus Jubilatis, & Diffinitoribus Actualibus exceptis, quorum Correctio altiori Judicio reſervatur,) Subditos ſuos delinqventes qvoscumqve, etiàm Diſcretos, & Qualificatos monere, arguere, corrigere, ac punire pœnis ordinariis, de aſſenſu tamen, & Conſilio aliorum Diſcretorum, exceptâ formali incarceratione, privatione actuum legitimorum, aut Officii, vel ab eo Suſpenſione, niſi delictum ſit grave, ac ſcandaloſum, nec moram patiatur; qvia in tali caſu de conſilio Diſcretorum, ſuſpendere ab Officio, vel in domo diſciplinæ includere valent, donec certior reddatur A. R. Pater Miniſter Provincialis.

Valliſolet. 1593. Rom. 1625.

IV. Qvicunqve Fratrum, etiàm Diſcretus, Superiori Locali in culpa, vel ad menſam communem authoritativè admonenti, defectus qvè corrigenti, rebellis, ac in obediens fuerit, aut aliqva verba injurioſa contra illum protulerit, vel Proteſtationes, ſeu Appellationes auſu temerario facere præſumpſerit, ſalutaremqve pœnitentiam ab eo impoſitam, (qualis eſt, v. g. Diſciplina, frænum lingvæ, Jejunium, ferculi, vel potûs privatio, deprecatio offenſi, & his

his similes, qvæ ordinariè â Gvardianis injungi solent,) vel etiam moderatam de consilio Discretorum taxatam subire noluerit, statim etiam trinâ monitione non præmissà, carceri mancipetur, & de his A. R. Pater Minister præmoneatur, ut ille de opportuno remedio provideat. Superior enim Localis ejusmodi Rebellem occlusum, liberandi non habet potestatem.

V. Item. Qvi in culpa verbo, vel gestu, aut signo manifesto impatientiam ostenderit, vel non interrogatus temerè respondere præsumpserit, aut correctionem cachinno exceperit, vel ex culpa, antequàm Superior annuat, surrexerit, per septimanam in domo disciplinæ occludatur, & tribus diebus in pane & aqua jejunet. Recidivantes duplicatam pœnam subeant, & caparonem deferant usqve ad adventum A. R. Patris Ministri. Polon. Antiq.

VI. Si quis verò extra locum culpæ Gvardiano, vel Loci Superiori aliquid mandanti, aut intimanti, promtè & humiliter obedire renuerit, vel contra ipsum verbis impetuosis, aut impatientibus insurrexerit, gravitèr pro ratione culpæ disciplinâ, fræno ligneo, vel occlusione in domo disciplinæ puniatur, Discretorum arbitrio.

Proprietariorum, & Furtum committentium Pœna.

I.

PRoprietariorum pœna est, carceratio per mensem, & actuum legitimorum privatio, ac tandem denegatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, si quis actualis Proprietarius de hac vita Roman. 1642.

vita migraverit. Recidivantibus pœnæ duplicentur, & tales ad omnia Ordinis Officia ipso facto inhabiles declarantur. Qvibus verò privatio non competit, Caparonem per tres menses deferant.

Ibidem. II. Res, & utensilia Monasterii, sive, alia usu consumptibilia auferentes, eâdem qvâ Proprietarii, pœnâ puniantur, & ad restitutionem rei ablatæ, si non fuerit usu consumptibilis, teneantur. Reliquias Sacras de Nostris Ecclesiis, aut Sacristiis frangentes, surripientes, aut qvomodocunqve alienantes, ultra pœnam Excommunicationis A. R. Patri Ministro reservatam, trimestri carceri mancipentur, nec possint absolvi, nisi restituant. Qvi verò gravius Sacrilegium in furto Vasorum Sacrorum, Clenodiorum, votorum, aut Sacræ Supellectilis commiserit; pro prima vice, duorum annorum Carceris formalis pœnam luat, pro qvalitate delicti, & omnibus Officiis perpetuò destituatur. Quod si recidivaverit, ad perpetuos carceres condemnetur, sine ulla spe veniæ.

Valliſolet. 1593.

Contra Castitatem delinquentium Pœna.

I.

Valliſolet. QVicunque domum prohibitam, vel pro suspecta declaratam ingredi præsumpserit, ibiqve per aliqvod spatium commoratus fuerit, ut inobedientiæ, & suspecti consortii reus puniatur, & ex loco confusibiliter pellatur. Eidem pœnæ subjaceat, qui suspectam Personam e domo sua ad alium locum pro colloqvio evocaverit, vel etiam in qvovis loco vocatus, vel non vocatus visitaverit, sine expressa licentia Superioris. Item. Qvi ad portam Conventùs sæpiùs

Polon. Antiq.

ùs, vel diutiùs cum fœminis in Confabulationibus tempus consumere consueverit, ac de his monitus non se emendaverit.

II. Qui literas amatorias, obscœnas, vel suspectas ad Personas alterius sexus scribere, vel ab illis scriptas recipere deprehensus fuerit, gravitèr in domo disciplinæ arctetur, Superioris arbitrio, pro qualitate delicti & in terra sedendo, ac disciplinas faciendo tribus vicibus in septimana, in pane & aqua jejunus mortificetur. Qui verò actum turpem commiserit, & de eo legitimè constiterit, pro prima vice, trimestri carceri mancipetur, & si in illud secundò inciderit, pœna eidem duplicetur, vel triplicetur, pro qualitate delicti, & scandali ratione. Quod si tertiò idipsum admiserit, ad perpetuos carceres Superiorum arbitrio damnetur. Vallisolet.

Revelantium Secreta Religionis Pœna.

QVicunqve Secreta Religionis, videlicèt, Patrum dissensiones, Prælatorum depositiones, privationes, vel peccata correpta, aut punita, vel punienda, & qvidqvid in infamiam, & detrimentum Religionis quòqve modo, personis qvibuscunqve extra Ordinem divulgaverit, eoipso Excommunicationis Sententiam incurrat, A. R. Patri Ministro reservatam. Et si de hoc convictus fuerit, actibus legitimis privetur; Cui verò privatio non competit, carceri per mensem mancipetur, cum disciplinis, & fœno ligneo tribus vicibus in septimana. Salmant. c. 8.

Calumniatorum, Detrahentium, Pacis Turbatorum Pœna.

I.

S. Damas Pap. QVi Fratris crimen, qvod legitimè probare non potest, alteri, quàm Prælato revelaverit; aut delictum alterius, qvod de Jure erat denunciandum in Visitatione, ob intentum suum particulare celaverit, ad alium Superiorem illud deferendo; Vel aliàs punita, correcta, & sopita iterûm deponendo coram Visitatore resuscitaverit; Sive crimen jàm punitum ex malitia delinquenti exprobraverit, pôenâ talionis, uti malitiosus pacis Turbator puniatur. Eandem pôenam subeat, qui dicto, aut scripto, notabiliter alicui detraxerit, aut aliquem falsò infamaverit: nec absolvi possit, nisi famam restituat, ac dicta, & scripta non priùs revocet, modo proportionato; ut secretò revocet, & puniatur, si detraxerit, vel infamaverit secretò. Qvi verò per se, vel per alios publicè detraxit, vel infamavit, publicè puniatur, & famam restituat, dictaqve revocet.

Rom. 1603.

Vallisolet. 1593.

II. Deponens falsum in Judicio Regulari, vel deponi procurans, aut revocans, vel revocare procurans, qvod verè depositum fuerat, sit ipso facto excommunicatus, Excommunicatione A. R. Patri Ministro reservatâ, nec absolvi potest, nisi præmissâ satisfactione, ac bimestri carceri mâncipetur, infamisqve perpetuò existat. Simili pôenâ plectatur, qvi alterius vel tacito nomine libellos famosos fecerit, projecerit, vel qvôvis modo exposuerit in alicujus gravem infamiam. Qui verò in Conventu combinationes fecerit, aut Fratres ad partisationes, sectas, divisiones contra Superiorem, clandestinis susurriis, & informationibus concitaverit, à R. Patre Ministro, sive Visitatore, carceri mancipetur, & de loco confusibiliter pellatur. Conspiratio

Ibidem.

Salmant. c. 7.

tio tamen non est intelligenda, quando Subditi aliquid intimare, aut significare Superioribus intendunt.

III. Qui verbis, aut factis aliquem graviter provocaverit, pœnâ disciplinæ, ac fræni lignei punitus, læsum publice deprecetur pro prima vice: pro secunda, carceri mancipetur. Rixantès, ac verbis contendentes, disciplinâ, & fræno ligneo coërceantur, & in signum veræ reconciliationis, humi in Communitate genuflexi, ex una scutella manducent, & graviùs pro ratione delicti puniantur. Polon. 1640.

Literas absquè licentia Scribentium, falsificantium, vel impedientium Pœna.

I.

QUi per se, vel per alios, Literas, vel Sigilla, ac manum, sive subscriptionem Prælatorum Ordinis Nostri, aut alterius Personæ notabilis falsificaverit, ipso facto Excommunicationem incurrat, ac carceri destinetur, ad arbitrium Superioris. Eandem pœnam subeat, qui, propriâ authoritate, Personis vagabundis nomine Conventùs, vel Provinciæ, literas testimoniales, vel recommendatorias, absqve scitu Superiorum dederit. Si verò Sigilla, & Literæ fuerint Superiorum Generalium, sine eorum assensu, Falsificatores è carcere liberari non possunt, & ad omnia Ordinis Officia sint inhabiles. Qui Superioris Generalis, aut Provincialis, sive eorum Secretarii Literas ad suos respectivè Subditos missas, vel Subditorum ad eosdem, malitiosè impediverit, detinuerit, aperuerit, aut legerit, actibus legitimis privetur, & carceri per mensem mancipetur, vel graviùs ad arbitrium A. R. Patris Ministri puniatur. Et cui privatio non competit, Caparonem deferat per semestre. Vallisolet.

Polon. Antiq.

II. Ob evitanda plura inconvenientia, tum ad amovendas superfluas postæ expensas, seriò præcipitur, ut nemo literas tàm qvoad Fratres Nostræ Religionis, quàm alterius, aut Sæculares Personas, etiàm Consanguineos scribere præsumat, sine Superioris licentia; Quas Superior, si nullum inconveniens continebunt, Sigillo Conventûs obsignare tenebitur. Scribens, aut recipiens literas aliunde missas, sine licentia, pôenâ disciplinæ puniatur. Hac lege non tenentur Superiores Locales, Patres Provinciæ, & alii graduati; Hi tamen monentur, ne officiosis, & supervacaneis literis Conventus discommodent. Subditi quoqve scribentes ad legitimum Superiorem, vel Provinciæ Patres eâdem lege non arctantur. Religiosæ humilitati, & Sæcularium censuræ obviando, statuitur, ut in superficie Literarum ad Fratres Provinciæ nostræ omnes superflui tituli evitentur, sed unus tantummodò dignitatis, gradûs, & Officii exprimatur, sub hac forma: A. R. Patri N. N. Ministro Provinciali Majoris Poloniæ S. Francisci de Observantia. A. R. Patri N. N. Provinciæ Patri. Admodùm, vel Multùm Venerando Patri N. N. Gvardiano, vel Prædicatori, vel Vicario, vel Confessori &c. Conventûs N. Sancti Francisci de observantia.

Item, 1726.

Bibulorum Pôena.

I.

Polon. Antiq.

QVicunque Fratrum inebriatus fuerit, pro prima vice disciplinam faciat, & in communitate genuflexus in pane & aqua jejunet: Pro secunda vice, pôena eidem duplicetur. Qui autem bis punitus, & correctus non se emendaverit, in domo disciplinæ per septimanam includatur, & Secundâ, Quartâ, ac Sextâ Feriâ jejunet, solo pane, & aquâ refe-

refectus. Si quis verò temulentus aliquas turbationes excitaverit, vel aliquod delictum commiserit; pro ebrietate pœnas debitas luat, pro excessu verò, pœnam in Statutis præfixam duplicatam subeat.

II. Hoc vitio inebriationis, ac compotationis laborantes, & per A. R. Patrem Ministrum ex Canonicis Visitationibus notati, rigidissime puniantur, ac gradu suo, & Officio, quod habent, detrudantur. Confessores Clericorum Officia subeant; Clerici coronâ Clericali priventur; Laici caparonem deferant. A quibus pœnis nonnisi per Diffinitorium liberentur, ac insuper in detestationem eorum temulentiæ, inhabiles ad omnia Officia Ordinis declarantur. B. Raphaël.

III. Seriò præcipitur Locorum Superioribus, ne nimiâ potûs Cremati propinatione Subditis suis dent occasionem dèlinquendi, ipsi qvoque ne hoc vitio laborent, sed veram tantummodò necessitatem habentibus, Seniculis, & infirmantibus potissimùm sub debita mensura hoc genus aquæ vitæ, (quà plurimi oppressi, & submersi fuere,) subministrent. Bibuli, ac scandalosi intra septa Monasterii, (nolint, velintqve) contineantur, & nonnisi ad publicas Processiones de Conventu egrediantur, qvibus certa mensura potûs assignetur. Superiores in prædictis contravenientes, Officio priventur.

Comminantium, ac Percutientium Pœna.

I.

QVi Fratri minatur, disciplinam faciat, & læsum deprecetur. Si verò manum, vel aliqvid ad percutiendum

Polon. Antiq. levaverit, in domo disciplinæ per tres dies includatur. Qvòd si levitèr ex malitia percusserit, Caparonem per mensem deferat, & in domo disciplinæ per septimanam includatur. Si verò graviter percusserit, sive Fratrem, sive Sæcularem Vallisolet. 1593. Personam, aut vulneraverit, vel lapidem, baculum, aut ferrum ad gravitèr percutiendum, sive vulnerandum, levaverit, aut projecerit, carceri per mensem, aut ultrà, juxtà qualitatem delicti mancipetur, & Caparonem per tres menses deferat. Quod si graviùs, & atrociter quemcunq; percusserit, aut vulneraverit, aut mutilaverit, trimestri carceri mancipetur, & actibus legitimis decenniò privetur. Recidivantibus duplicentur pôenæ, & etiam ad perpetuos carceres destinentur. Eandem pôenam perpetui carceris incurrant voluntarie occidentes aliquem, vel per se, vel per alium veneno suffocantes, vel percutientes enormitèr, & crudeliter ita, ut exinde mors subsequatur.

II. Si verò quis Superiorem Localem etiam leviùs ex Salmant. c. 7. malitia percusserit, aut manum, baculum, vel qvid simile ad percutiendum levaverit, actibus legitimis triennio privetur, & trimestri carceri mancipetur. Si verò graviùs percusserit, aut aliqualiter vulneraverit, per septem Menses incarceretur, & perpetuo actibus legitimis privatus existat. Qvibus verò privatio non competit, caparonem per annum deferant. Qvi verò Provincialem qvóvis modo etiàm leviter percusserit, per Annum incarceretur, & perpetuâ infamiâ, ac inhabilitate ad omnia Ordinis Officia mulctetur. Si verò alapam dederit vel graviùs aliquo instrumento, aut baculo, vel lapide offenderit, ad perpetuos carceres damnetur, à qvibus liberari non potest, sine Superioris Generalis assensu.

Non

Non celebrantium, vel non Confitentium, aut Officium non Recitantium Pœnæ.

I.

INfirmis, ac valetudinariis exceptis, Quicunqve in celebrando notabiliter defectuosi fuerint, ac ex affectata negligentia, sive compotationibus, & crapula, Missas potissimùm diebus Festis, ac solemnioribus celebrare neglexerint. Item. Qvi singulis Mensibus bis saltim Confessiones Sacramentales non fecerint, aut in Divino Officio persolvendo negligentes extiterint, illudqve omittere, & non recitare convicti fuerint, uti de errore, & vita irreligiosa suspecti â Superioribus ipso facto habeantur, ac omnibus gradibus, & Officiis, si quæ habent, per A. R. Patrem Ministrum in Canonicis Visitationibus destituantur, inhabilesqve ad omnia Ordinis Officia declarentur; A quibus pœnis nisi per Capitulum, vel per Congregationem relevari non possunt, idqve prævio Discretorum testimonio de eorum seria ac vera emendatione. Polon. Antiq.

II. Ejusmodi acedioſos, negligentes, ac suæ Vocationis immemores, Superiores Locales sub pœna depositionis ab Officio, extra Conventum non mittant, sed ad Chorum, si Sacerdotes sint, vel ad Missæ servitia, si Fratres Laici fuerint, omninò applicare, & compellere tenentur. Proinde supra Qvæstuarios, sive Provisores, tardius ad conventus de Quæsta redeuntes animadvertant Superiores, & seriò inquirant, cuinam, & quando confessi fuerint, vel, si mandato Regulæ de persolvendo Officio Divino satisfecerint. Ibidem. Item, 1726.

Favo-

Favores per Personas extraneas procurantium Pœna.

Paul. V. c. Admonet. NE ad Officia, & dignitates, per mendicata Suffragia ambitiosus pateat accessus, Authoritate Apostolicâ sub pœna Inobedientiæ, ac Excommunicationis ipso facto incurrenda, inhibetur omnibus Superioribus, ac Prælatis, ne ad instantiam quarumcunque Personarum tàm Sæcularium, quàm Ecclesiasticarum, extra Ordinem constitutarum, quâcunque dignitate præfulgentium, alicui Religioso Ordinis Nostri gratiam aliquam, gradus, honores, officia, vel dignitates concedere, vel pœnas remittere audeant. Procurantes autem prædicta per talia media, vel ea sponte oblata acceptantes, privationem horum, & aliorum Officiorum, ac perpetuam inhabilitatem ad illa incurrunt.

Urban. VIII.

Benedict. XIII. 1725.

Simoniacorum & Subornatorum Pœna.

I.

Salmant. c. 7. Valliſolet. 1593 SImoniacos declaramus, qui, ut gradus, honores, dignitates, vel Officia Ordinis consequantur, vel in sui, sive alterius favorem, sententia, aut suffragium feratur, per se, vel per alium munera dederint, vel votum pro voto ad Electiones per pactum promiserint, ac tulerint. Et hi ultrà pœnam Excommunicationis Papæ reservatam, quam ipso facto incurrunt, omnibus beneficiis, ac dignitatibus simoniacè adeptis privantur, cum inhabilitate ad illa.

Paulus V. Greg. XIII. II. Qui antè, vel in ipsis Electionibus Capitularibus pro se, vel pro alio, per se, vel per alios, quempiam subornaverit, Excommunicationis Sententiam ipso facto incurrat,

Su-

Superiori Generali reservatam, & insupèr actibus legitimis ipso facto privatus existat. Quæ pœnæ etiam ad complices, aut scientes, & non revelantes, per Clèmentem VIII. de Reformatione Regularium extenduntur. Clem. VIII. 1599.

III. Subornatores verò sunt illi, qvi donis, & Promissis, comminationibus, & obsecrationibus importunis, aut vituperationibus falsis, aliquem inducere conantur, ut sibi, vel alteri Suffragium in Electione ferat; Quiqve colligationes, & inductiones fecerint, seu aliqvem, vel aliqvos alliciendo, ut secum per maneant, & unum sentiant, in suffragando pro se, vel pro alio, sive contra alium. Non autem illi, qvi conferendo, vel consulendo ad invicem pro zelo Justitiæ talem dignum, vel indignum ad Officium dixerint, ut ad illud eligatur, vel non eligatur. Valliſolet. 1593.

CAPVT VIII.

De Antecedentibus, & Subsequentibus Celebrationem Capituli Provincialis, ac de Qualitatibus, Prærogativis, ac Muniis Officialium.

I.

SIngulis trienniis celebretur Capitulum Provinciale pro eligendo novo Ministro, Custode, Diffinitoribus, ac aliis Officialibus infra Festa Paschatis, & Pentecostes. Poterit tamen ex rationabili causa, à Patribus Diffinitorii probata, ultrà mensem, & non ampliùs tempus Capituli prorogari. In decursu sui triennii A. R. Pater Minister tempestivè Valliſolet. 1593.

Commissarium Visitatorem à Generali Superiore expostulet quem, obtentis patentalibus literis, in Provinciam humanitèr introducat, unà cum duobus, & non pluribus Sociis. Visitator ejusmodi regularitèr mittendus est à Superiore Generali, ob celebrandas Capitulares Electiones, non verò extra tempùs Electionis Ministri, (nisi urgentibus de causis, à majori parte Patrum Provinciæ requiratur,) qui, completo suo negotio, mox ad propriam Provinciam regredi tenetur.

Salmant. c. 8.

II. A. R. Pater Visitator communibus literis adventum suum in Provinciam notificet, peculiaresqve Orationes pro felici Visitationis Successu indicat, & sub pœna Apostasiæ, ipso facto incurrenda inhibeat Fratribus, ne extra sui Conventùs Quæstam, aut limites, sine sua licentia egrediantur, ut omnes Visitationi paratos inveniat. Ad qvemcunqve Conventum venerit, dato signo Campanæ Refectorii, omnes Fratres capitularitèr convocet, factoqve spirituali sermone admonebit, ut sincerè, fidelitèr, & charitativè quisqve id deponat, quod pro Dei gloria, Religionis augmento, ac animarum salute opportunum judicaverit, idqve districtè præcipiat in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne corrigenda, vel emendanda per Eum subticeantur.

III. Illud verò vel maximè verbis, & operibus ostendat, quòd nihil præter DEi Gloriam, animarum salutem, ac morum (in quantum opus fuerit,) reformationem prætendat. Proindè ut communis omnium Pater, absqve personarum acceptatione, prudenter, & integre se gerat, nulla à quibusvis mùnera etiam spontè, (quod absit;) oblata acceptet, sive in pecunia, aut denariis, sive in aliqua alia re, etiàm prætextu accessûs, & recessûs à Provincia, (ad

S. Congreg. 1710.

quod

quod & ejus Socii obligantur,) ſub privatione vocis activæ, & paſſivæ, & reſtitutionis obligatione, aliisqve pœnis contra largitiones, & acceptationes munerum ſancitis juxta Decretum Sacræ Congregationis Anno 1710. Die 14. Novembris emanatum, ſed ſoſa veſtiturâ ſibi, & Sociis in propria ſpecie à Diffinitorio conceſsâ ſit contentus. Proindè à ſingulis Conventuum Superioribus teſtimonia jurata de non acceptis muneribus in promptu habeat, ad qvæ demonſtranda Diffinitorio capitularitèr congregato obligatur, in qvo èjusmodi Decretum legi debet ſub iisdem pœnis. Clem. VIII. de largitione munerum.

IV. Ad Viſitationem acceſſurus viſitet Venerabile, Sacra Olea, Altaria, Capellas, Oratoria, & Sacriſtiam, poſteà in particulari Fratres ſuo ordine, advocando ſeorſim, ex quibus inquirat de infrà poſitis.

1. An in Divino Cultu Chriſtiana, ac Religioſa pietas eluceſcat, obſerventurqve Sacri Ritus, & Ceremoniæ Eccleſiaſticæ. Et utrùm lampas ad venerabile die, noctuqve ardeat. Salmant. c. 10.

2. An ad Divina Officia die, noctuqve in Eccleſia celebranda, omnes tempeſtive conveniant, & pſallant, ac cantandas, vel dicendas Miſſas celebrent. Valliſolet. 1593.

3, An vita communis in victu, & amictu ab omnibus, potiſſimùm Superioribus ſervetur.

4. An inveniantur in Loco aliqvi notorii transgreſſores Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis, aut aliorum Præceptorum Regulæ.

5. An fiant quæſtus pecuniarum illiciti, vel conſervatio denariorum in Cellis.

6. An legantur Constitutiones Pontificiæ, & Statuta suis temporibus.

7. An reperiatur in Loco aliqvod scandalum publicum Sæcularium.

8. An inveniantur compotationes nocturnæ, ebrietates, vel rixæ, & dissensiones Fratrum.

9. An Superior Loci Choro attendat, & religiose, ac prudenter se gerat, detqve debitam in victu & amictu, ac aliis necessariis satisfactionem suis subditis.

10. An Infirmis, & Forensibus charitas exhibeatur.

11. An plures equi ultra præscriptum inveniantur, & currizationes de facili permittantur, vel practicentur.

12. An fiant Computus Perceptarum, & Expensarum, qvòvis mense & utrùm Conventus non sit oneribus Missarum gravatus, vel debitis.

13. An Domus, vel prata, campi, vel pomaria locentur Sæcularibus pro pecunia, vel fundi seminentur tritico, hordeo, ac aliis.

14. An Mulieres intra Claustrum, vel septa Monasterii admittantur.

15. De A. R. Patris Ministri etiam Visitationibus, & Officio, & Sociorum suorum moribus, & vita diligenter inquirat, uti pro sua prudentia & religione expedire judicaverit.

16. An in tota Provincia abusus Regulæ, Perturbatores, discordiarum Seminatores, Fautoresqve malorum inveniantur.

Greg. XIII. Quibus auditis, visis, & peractis, A. R. Pater Visitator, quæ animadversione, correctione, punitione, & re-

for-

formatione digna cognoverit, animadvertat corrigat, puniat, & reformet, pro sua dexteritate, & prudentia. Qui verò Eidem non obedierit, aut rebellisaverit, aut ejus mandata, & decreta exeqvi neglexerit, pœnâ, ut suprà, contra Rebellisantes statutâ puniatur. Si quis tamen ab eo se indebite gravari prætenderit, ei ad Superiores recurrere, & ordine Juris servato appellare liceat. Vallisolet.

V. Commissarii Visitatores in Provinciis sibi concreditis ordinatà immutare, aut contra Statuta Provincialia facere non possunt, nisi accedente consensu Diffinitorii: Nec in Provincialem Ministrum, aut Patres Ex-Ministros, & Jubilatos notabiliter animadvertere valent, nisi ex probata causa, & de consensu Patrum Provinciæ, aut Provincialis Capituli, qvod tamen de depositione, & privatione non intelligatur, nisi Superiore Generali anteà consulto. Sigillo majori Provinciæ uti, Novicios suscipere, Clericos ad Ordines mittere, Monialium Confessarios destituere vel instituere, post mortuos Fratres res accipere, vel dividere, Gvardianos Officio privare non possunt: Nec Causas graves, si occurrerint, determinare, absqve Consilio, & consensu Diffinitorii. Roman. 1603.

De Vocatoriis ad Capitulum.

I.

LOcus Capituli relinqvitur arbitrio A. R. Patris Ministri, pro antiqvo usu, & praxi Provinciæ: Is videlicet, quem pro conquirendis necessariis aptiorem, & Benefactorum freqventiâ commodiorem fore judicaverit; Ad qvem Idem A. R. Pater Minister necessitates Capituli tempestivè comportabit, & providebit per viros Religiosos, & exem- Polon. Antiq.

Rom. 1572. plares. Cui etiam Patres Gvardiani, potiſſimùm viciniores, de ſuis Conventibus pro ratione facultatum ſubſidia ferre teneantur.

II. Peractâ majoris partis Provinciæ Viſitatione, A. R. Pater Viſitator Generalis Vocatorias pro Capitulo celebrando per ſingulos Conventus tempeſtivè expediet; ad quod de Jure, & antiqua conſvetudine Provinciæ vocandi ſunt, A. R. Pater Miniſter, Cuſtos cum Diffinitoribus Actualibus, Patres Provinciæ, Ex-Miniſtri, & Sacræ Theologiæ Lectores Jubilati: Item. Omnes Gvardiani, Lectores etiam Theologiæ utriusque Studii Generalis, ac Philoſophiæ Primarii pro defendendis Concluſionibus, & faciendo concurſu cum ſuis diſcipulis accedendi habeant facultatem. Qui verò non vocatus, nec habens ſpecialem ab A. R. Patre Viſitatore Generali, aut A. R. Patre Miniſtro licentiam, ad locum Capituli, etiàm prætextu cujusvis neceſſitatis acceſſerit, pœnâ gravis Apoſtaſiæ puniatur, & de loco confuſibilitèr pellatur.

Valliſoleta. 1593.

Ibidem.

Polon. Antiq. 1726.

III. Patribus de Corpore Diffinitorii, ad Locum Capituli pergentibus, Superiores Locales neceſſaria itineris providere tenentur. Ipſi verò ex Conventibus, ubi ſunt Studia, migraturi Patres Lectores, vel unum de illis ſibi pro Socio aſſumant. Alii vero Patres Guardiani ad evitandas ſuperfluas expenſas, bini & bini aſſociatim ex vicinioribus Conventibus unâ vecturâ ſint contenti, alternatim currum, & equos ſibi tempeſtivè ſubminiſtrantes, & inter ſe componentes. Anteqvàm verò de ſuis Conventibus egrediantur, omnia Inventaria Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Bibliothecæ, Refectorii, ac aliarum Officinarum diligentèr confecta, & regeſtrata; Item. Annonæ, & proviſionis victualium adnotationem Præſidenti,

Sixtus V.

ti, coram Discretis consignare tenentur, ut ille futuro Superiori eadem fideliter restituat.

IV. Patres Gvardiani computus Perceptarum, & Expensarum Eleëmosynarum, Missarum celebratarum, & celebrandarum numerum, debitorum exsolutorum, & solvendorum rationem. Item. Testimonium de Satisfactione Communitati quoad vestitum ex integro, ac aliis necessariis, de exhibita Infirmis, & forensibus charitate, de peractis qvotannis Exercitiis Spiritualibus ab omnibus, & singulis, de Chori frequentia, Regulæ, ac Statutorum Observantia, Conventuum reparatione, veterum Habituum ad Noviciatus transmissione, Famulorum congruâ quietatione, secum ad Capitulum deferant. Qvæ omnia sint manibus Discretorum subscripta, qvorum conscientias oneramus, ne vel adulatoriè aliquid addant, aut ex mala voluntate aliqvid detrahant contra rei veritatem, dictaqve Testimonia obsigillent. Valliſolet. 1593.

V. Patres etiam Lectores, ac Prædicatores, de sua sedulitate, ac vita religiosa, & exemplari, testimonia authentica à Superiore Loci, ac Discretis subscripta Diffinitorio præsentare tenentur.

De Electionibus Capitularibus, & Eligendorum Qualitate.

I.

POstqvàm in Loco Capituli omnes Vocales, ac Electores comparuerint, (aliàs sine legitimo impedimento, à Diffinitorio approbando se absentantes, triennio, voce activâ Neapolit. c. 32.

Polon. Antiq. ctivâ & passivâ priventur,) ne Electiones contentionibus, & controversiis conturbentur, unusquisqve ex Vocalibus præveniat tempestivè A. R. Patrem Præsidem, vel Patres Diffinitorii, deponatqve, si aliquid habet adversus aliqvem, secundùm conscientiam necessariò deponendum: Aliter faciens, velut pacis turbator puniatur, nec ampliùs audiatur. Et pridie Electionis mane, vel â prandiis ejusmodi depositа discutiantur, prouti & Testimonia Sigillata, â Patribus Guardianis, Lectoribus, & Prædicatoribus recepta legantur, & trutinentur in Diffinitorio, ne aliàs indigni suffragio potiantur in Electionibus Capitularibus Horâ verò quartà pomeridianâ, unus ex Sacræ Theologiæ Lectoribus, vel Prædicatoribus Generalibus, alternato ordine ad munus Oratoris Capituli, pro qualitate meritorum antecedenter â toto Diffinitorio destinatus, Sermonem congruum coram Vocalibus in Refectorio congregatis perorabit. Normatoresqve suo Officio invigilabunt, qui ne ex Normatoribus Subornatores fiant, sub pœna Excommunicationis interdicimus.

Ibidem, 1726.

II. Ipso die Electionis, horâ mediâ sextà, de mane, cantetur Missa solemnis de Spiritu Sancto, (prointerim alii tempestive in celebrando se expediant.) Qvâ finitâ, immediate pulsetur Campana Refectorii pro futura Electione, ad quam faciendam A. R. Pater Præses Capituli, A. R. Pater Minister Custos, & quatuor Diffinitores Actuales: Item. Omnes, & singuli Gvardiani, uti Electores legitimi ad Refectorium tempestive descendant, semotis aliis quibuscunqve voce activâ non gaudentibus, qvi nullatenùs etiàm sub prætextu intendentiæ interesse, valent in Refectorio, dum Electiones Capitulares celebrantur. Quod etiam de Secre-

Vrban. VIII. Clem. VIII. Benedict. XIII.

tario

tario Commissionis, ac Provinciæ, (sine qvibus Electiones canonicæ ritè celebrari possunt, & debent,) est intelligendum, ac ità omninò servandum decernimus, ob evitandas Subornationis occasiones.

III. Præses Capituli, secundùm Deum, & ad præscriptum Constitutionum invigilet, ut Electiones sint liberæ, ità ut nec minis, nec promissis, favoribus, subornationibus, aut corruptionibus, libertas Eligentium violetur, sub pœna Excommunicationis. In Electionibus verò, Justitiæ distributivæ ratio habeatur, ità ut semper digniores, & meliores eligantur. Nec eligantur in Ministros, Custodes, vel Diffinitores, illi, qvi fuerint Capita dissensionum, vel passionibus odii, & inimicitiarum, vel amoris indebiti sunt notati, aut qvi non seqvuntur vitam communem in victu, & vestitu; vel in Officiis Chori, & Orationis notabiliter negligentes, aut qui non sunt de corpore hujus Provinciæ in eadem Professi, vel saltim decennium ab incorporatione non expleverint in ea; Vel illegitimè nati, nisi habuerint dispensationem, manu Superioris Generalis subscriptam. Rom. 1603.

IV. In Ministrum Provincialem ille eligatur, qvi morum gravitate, literarum scientiâ, gubernandi peritiâ, ad ejusmodi Officium præditus fuerit, & qvi trigesimum qvintum ætatis, Religionis verò vigesimum annum excesserit, qvi etiam præbuerit specimen suæ aptitudinis ad gubernandum in gradibus inferioribus, nempè, Prædicationis, Lecturæ, Guardiani, Diffinitoris, & his similibus; Aliter Electio facta nulla sit. Trident. Sess. 25. c. 1. S. Pius V. Rom. 1651.

V. His præmissis, & per A. R. Patrem Præsidem Capituli breviter, sed efficaciter Sermone exhortatorio inculcatis;

omnes Vocales Electores in Refectorio congregati, anteqvàm ad Electionem deveniant, genuflexi dicent: Confiteor &c. qvos A. R. Pater Præsidens absolvat in hunc modum.

Forma Generalis Absolutionis, in omnibus Capitulis Provincialibus ante Electiones, canonicè, ac ritè celebrandas servanda.

Misereatur vestri. &c. Indulgentiam, & remissionem &c.

DOminus noster JEsus Christùs, vos absolvat, & ego auctoritate ipsius, & beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, ac Sanctæ Sedis Apostolicæ, mihi in hac parte commissa, & vobis concessa, absolvo vos ab omni vinculo Excommunicationis, si qvam incurristis, & restituo vos unioni, & participationi fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ; dispensando vobiscum in omni sententia irregularitatis, suspensionis, & interdicti, si qvâ innodati estis: & ad effectum Electionis, canonicè, & ritè nunc per vos celebrandæ, qvatenus opus sit, & indigetis, vos habilito. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.

QVâ absolutione factâ, mox Præses Capituli & ipse genuflexus, (accensis duabus Candelis, in medio Mensæ positis, Hymnum: Veni Creator Spiritus &c. cantabit, qvem capitulares alternis Choris prosequentur. Qvo finito, â duobus Cantoribus infrascripti Versus cantentùr.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini.
℟. Qvi fecit cœlum, & terram.

℣. Sit

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & usqve in sæculum.
℣. Deus virtutum convertere.
℟. Respice de cœlo, & visita vineam istam.
℣ Memento congregationis tuæ.
℟ Quam possedisti ab initio.
℣. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.
℟. Sed citò anticipent nos misericordiæ tuæ.
℣. Elegi David servum tuum.
℟ Pascere Jacob, & Israel hæreditatem tuam.
℣. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui corda nosti omnium, cui omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, ostende nobis, quem elegeris accipere locum Ministerii hujus, in quo pio in nos studio semper tibi placitus, familiam tuam virtutibus instruat, & fidelium mentes spiritualium aromatum odore perfundat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

VI. His peractis, A. R. Pr. Minister Provincialis genuflexus renunciabit suo Officio, & culpam dicet, cui A. R. Pater Præses pro laboribus, & meritis gratias agat. Dum verò A. R. Pater Minister Officium resignat, omnes Patres Vocales stent erecti in suis locis, excepto Præside. Polon. antiq.

VII. Posteà Vocalibus ad sedendum in suis locis, se conferentibus, tres Disquisitores pridiè ab A. R. Patre Præ-

ſide, cum aſſenſu Patrum Diffinitorii electi, qui ſint de Corpore Vocalium, vocati exibunt ad medium, & coram Crucifixo, tacto pectore, ſervare Secretum Electionis, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda, promittent, ità, ut nec verbo, nec ſcripto, nec nutu, nec aliquo modo, Eligentium nomina ullo quôvis tempore publicari poſſint ab eis, ne aliàs irrita reddatur Electio. Factoqùe Juramento ad ſuum Locum, ſeu ad menſam A. R. Patrit Præſidis pro votis adnotandis ſe conferant.

Valliſolet. 1593.

VIII. Ab A. R. Patre Miniſtro incipiendo, omnes, & ſinguli Electores ordine ſuo legantur ab uno ex Diſquiſitoribus ex Charta, ſibi à Secretario Provinciæ tempeſtivè conſcripta, & genuflexi unus poſt alium ſeorſivè, & clarâ voce faciant Juramentum in hac forma,

Forma Juramenti.

EGo Frater N. N. Gvardianus N. promitto, ac juro DEO Omnipotenti, & omnibus Sanctis, me in Electione Canonica præſenti, tam pro Miniſtro Provinciali, quàm Cuſtode Cuſtodum, nec nòn pro Diffinitoribus Almæ hujus Provinciæ, Eum electurum ad quodlibet prædictorum Officiorum reſpective, quem juxta Canones, & Decreta Pontificum, in conſcientia omnibus æquâ lance libratis, digniorem eſſe judicavero, nullis me reſpectibus, per ullum abducendum, vel abduci faciendum: Sic me Deus adjuvet, & Chriſtus Dominus Crucifixus, & hæc ſancta Evangelia.

IX. Antequàm à ſingulis Vocalibus Juramentum excipiatur, ſcribant pro interim Electores ſuis in locis ſedentes Vota ſua, ſeù Suffragia in ſchedulis, ad hoc in ſingulis menſis à Secretario Commiſſionis præparatis, ità tamen ſecrete, ut nullus alterius ſcriptum, ſive votum videre, ſive legere

Trident. Seſſ 25. c. 6.

que-

queat, ne aliàs irrita reddatur Electio, quæ essentialiter debet esse Canonica, & Secreta. Quapropter Idem Pr. Secretarius pro illis, qui scribendi modum nesciunt, in aliquot Schedulis majoribus per mensas dispersis scribat antecedenter hunc tenorem: Ego Frater N. N. Diffinitor, vel Gvardianus Conventûs N. eligo in Ministrum Provincialem, A. R. Patrem N. N. Scribaturqve Nomen, & Cognomen Electi. Hoc idem pro Custode servandum: Pro Diffinitoribus verò quatuor Electi scribantur; & unusquisque suum votum, seu totam Schedulam plicatam eo modo, ut Scriptura legi, ac videri non possit, obsigillet. Salmant. c. 8.

X. Absentium, & morte decedentium Guardianorum vota per alios ad suffragandum duntaxàt Electos nulletenùs suppleri possunt: Sicuti nec ejusmodi Electio Guardianorum Titularium, ad solam pro absentibus suffragationem Substitutorum valere, & subsistere potest, adeoqve non amplius practicanda, sub nullitate Electionis. Quodsi Guardianus à Diffinitorio electus posset commodè ante actum Capituli ad suum Conventum descendere & regimen saltim per diem naturalem in dicto Conventu tenere, tunc valeret ejus votum, uti à legitimo Vocali. Siquis verò Vocalium in loco Capituli existens, ob infirmitatem descendere non valeret ad Refectorium pro facienda Electione, licitum sit duobus Disquisitoribus ad eum personaliter accedentibus, votum ejus ore prolatum recipere, & cum aliis in regressu ad Refectorium secretò scribere, & adnotare. Nemo sidimetipsi in Electione votum dare potest, sub Privatione vocis activæ & passivæ in perpetuum. Vrban. VIII. Roman. 1693. Trident. Sess. 25. c. 6. Salmant. 1681.

XI. Præstito à Singulis Iuramento, & subscriptis per Vocales schedulis, seu votis secretis, & obsigillatis, ab uno

ex Disquisitoribus, qui Tabulam Vocalium penes se habebit, iterum legantur, à majori incipiendo, singuli Vocales, ac de locis suis exeuntes in Vas, præparatum penes A. R. Patrem Præsidem, sua Vota inferant, quæ A. R. Pater Præses Capituli conformitèr ad numerum Vocalium numerabit, leget, & reuidebit, porrigendo Disquisitoribus; Qui in tabulis præparatis singuli vota pro eligendis legent, & adnotabunt, ac ad invicem conformabunt, ne fraus, aut aliquis error irrepserit: Secretò tamen, ne ullus alius præter illos ad notitiam illorum veniat. Quod si aliquis Vocalium ex ignorantia votum incompetens tulerit pro eo, qui aliquâ de Causa eligi non potest, sive pro Ministro, sive Custode, ac Diffinitore, Ejus votum nullo modo publicetur, quamvis fuerit invalidum; Sed à R. Patre Præside vocatus, eidem, & Disquisitoribus ad aurem votum suum proferat secretò pro alio, quem velit nominare suâ sponte, & ex libera Electione. Et factâ Electione (quæ debet esse majoris partis Vocalium, ità ut unam medietatem saltim una vox superet, (v. g. si sint quadraginta Vocales, vota pro Electione concluſiva pro Ministro, Custode, & singulis Diffinitoribus debent esse viginti unum. Si fuerint Vocales triginta novem vota debent esse viginti. Si fuerint Vocales triginta octo, vota sint itidem viginti, quia novemdecim, & novemdecim æqualem faciunt numerum, & sic de aliis.) Notarius Electionis, unus ex Disquisitoribus, qui est dignior, clarâ, & intelligibili voce eam publicabit, ut infrà. Si verò facta non fuerit, eam quidem publicabit, sed nihilominùs iterentur eodem modo scrutinia, donec Electio facta sit, ità tamen, ut infra diem unum, hoc est, ad occasum Solis omninò fiat, aliàs Electio Ministri Provincialis ad Generalem

Clem. V. cap. Exivi de Paradyso

ralem devolvatur, ac Commissarius Provinciæ per A. R. Patrem Præsidem instituatur, aliæqve Electiones, & Acta Capitularia de more terminentur. Quod si quis indignus, vel contra tenorem Statutorum eligatur, ejusmodi Electio, uti nulla, cassari debet, & ad aliam procedatur.

Forma publicandæ Electionis.

IN nomine Domini. Amen. Hæc est Electio R. Patris Ministri Provinciæ N. Ordinis Minorum Regularis Observantiæ, per Patres Vocales in loco N. N. capitulariter, ac legitimè congregatos, Anno Domini N. Die verò N. Mensis N. canonice, ac rite celebrata, in qua quidem Electione Pater Frater N. N. habuit vota N. Et R. P. N. N. habuit vota. N. Salmant. c. 8.

Et ab iis semper incipiat, qui pauciora vota habuerint. Et cum enunciare voluerit nomen illius, qui canonice fuerit electus, pronunciato Suffragiorum numero, qui ei suffragati sunt, dicat.

Et ego Frater N. ejusdem Ordinis Professor, unus ex Disquisitoribus, & Compromissariis virtute compromissi in me, & in socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam Electionem convenerunt, & consenserunt, præfatum R. Patrem N. N. Ministrum Provincialem, canonice electum, nomino, & sic electum denuncio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.

XII, Post singula scrutinia Schedulæ comburantur in Refectorio ab uno ex Disquisitoribus. Custodis verò Provinciæ, ac Diffinitorum Electio eodem modo, & sub eadem forma fiat; Ad quod munus illi tantum eligantur, qui omnia necessariò requisita habuerint, juxta inferiùs

dicenda de Cuſtode, ac Diffinitoribus. Quod ſi ultra quatuor Diffinitores aliquis etiâm quintus concluſiva vota habuerit, nullo modo Diffinitor eſſe poſſet, niſi illi, qui plura vota habuerint ad complendum numerum quaternarii. Peractis omnibus Electionibus, & publicatione factâ, A. R. Pater Miniſter electus cum toto novo Diffinitorio genuflexi Proteſtationem Fidei faciant, in fine ſtatutorum poſitam. Et poſteà Cantores incipiant: Te Deum laudamus. Fiatqve ordine Proceſſio ad Eccleſiam, usqve ad majus Altare cum novo Electo, qui ibidem genuflexus expectet Confirmationem â R. Patre Præſide.

XIII. Antequàm Hymnus finiatur in Eccleſia, A. R. Pater Præſes Capituli, cum duobus Cantoribus, ſuperpelliceo, & ſtolâ indutus, ad majus Altare procedens, antequàm de more confirmet Miniſtrum, & Diffinitores neo Electos, infraſcriptas Orationes cum Verſibus cantabit.

Verſus cum Orationibus in Eccleſia canendi.

℣. Benedicamus Patrem,& Filium, cum ſancto Spiritu.
℟. Laudemus, ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.
℣. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ.
℟. Et ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi.
℣. Dignare me, laudare te, Virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Ministro nostro, & dirige eum secundùm tuam clementiam, in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & totâ virtute perficiat.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ.

DEus, qui Ecclesiam tuam, beati Francisci meritis, fœtu novæ prolis amplificas, tribue nobis, ex ejus imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

HIs peractis, Præses Capituli, præmissâ ad Electum Ministrum salutari exhortatione, eundem nomine Superioris Generalis in Officio confirmabit, ac Sigilla Provinciæ in Altari collocata cum statutis Generalibus, & Provincialibus, reddet ad manus ejus, ex Sella honestè ad id in cornu Evangelii præparata; aliàs sine Confirmatione facta ab A. R. Patre Præside, quæ sine legitima causa differri non potest, Electus nullam habeat potestatem. Posteà abscedet ab Altari ad Sacristiam, & A. R. Pater Minister Electus in altera Sella, vel eadem ad cornu Epistolæ collocata sedens, à Vocalibus primò, posteà ab aliis Fratribus præsentibus, ordine suo, obedientiam recipiet, quos, amplectitur uti filios: Cantantibus Fratribus Antiphonam de S. Patre Francisco: Salve sancte Pater. donec tota ceremonia finiatur.

De iis, quæ post Electiones prædictas agenda sunt.

I.

CElebratâ, ut suprà, Electione Capitulari, convocentur omnes Patres Diffinitorii, singulis diebus, horis opportunis, ad locum aptiorem ab A. R. Patre Præside deputatum, ubi spectantia ad bonum Provinciæ pertractentur. In Provinciali Capitulo, sicut etiam in Congregationibus intermediis, omnes Guardiani, ac Monialium Confessarii suis Officiis vel per se, vel per literas renunciare tenentur; Quam renunciationem admittere, vel non admittere potest Diffinitorium, proùt publicæ utilitati magis expedire judicaverit. Duo, vel tres Auditores Causarum instituantur, qui Regestra Perceptarum, & Expensarum, ac omnia Inventaria, â Guardianis sibi porrecta revideant, & connotent, de his in Diffinitorio rationem reddituri. Examinatores verò Prædicatorum, de novo instituendorum, sint ipsimet Actuales Lectores illorum, quorum conscientia oneratur, ut suprà, ne inhabiles promoveant. Idem sit judicium de Examinatoribus quoad Confessarios, qui instituuntur illi, utsprà Cap. VII. Lectorum verò de novo instituendorum Examen, ac Institutorum Confirmatio penes totum Diffinitorium resideat.

Vallisolet.

Polon. 1726.

II. Electiones Guardianorum fiant per secreta Suffragia, seu ballotationes, (prævio Iuramento, tacto pectore, facto,) de digniori èligendo. Modus autem Electionis erit, quòd, antequàm vota secreta pro illis dentur, A. R. Pater Minister Neo-Electus, (habito priùs consilio cum suo Anteceſſore, ac alio Patre, rerum Provinciæ perito, de qualitate singulorum promovendorum) legat, & proponat ex charta Candidatos simpliciter pro Guardianatu,

Vrban. VIII. 1642.

Clem. VIII. de Reform. Regular.

natu, non specificando hunc, vel illum Conventum, ad quem erunt ordinandi; & si quis contra aliquem, vel aliquos tàm ex Patribus Provinciæ, quam ex Diffinitoribus opposuerit, deleantur de numero Candidatorum, & alii proponantur, donec nulla facta fuerit oppositio. Posteà proponantur singuli pro singulis Conventibus, quos excludere Patres Provinciæ, juxta Decreta Clementis & Vrbani VIII, ac Benedicti XIII. non habent potestatem: Cùm in hoc casu superintendentiam ac arbitrium habere viderentur; benè tamen consilium dare possunt pro bono, & emolumento Provinciæ. Diffinitores autem actuales, inter quos primum locum tenet Custos Provinciæ, eos ab hoc, vel illo Conventu interlocutoriè excludere possunt. Polon antiq. Bened. XIII.

III. His præmissis, dentur ab Electoribus, nempè, Visitatore Generali, sive Præside Capituli, Ministro Electo, ac immediatè præterito, Custode, & Diffinitoribus Actualibus calculi albi, vel nigri, secretò, & absqve alia discussione ponantur in urna. Quod si major pars suffragiorum Candidato affirmativa fuerit, pro Electo censeatur. Si vero negativa, proponatur alius, donec Electio canonica sit. Quod si vota per tres vices erunt æqualia, Præses voto decisivo utatur, uti secundùm Deum melius videbitur expedire. Quod in omnibus ballotationibus servandum statuitur. Alii autem Officiales, videlicèt, Confessores Monialium, Magistri Noviciorum, Lectores, Prædicatores, & hujusmodi instituantur à Superiore, cum consilio, & consensu Patrum Diffinitorii. Qualitates Eligendorum pro Guardianis infrà videantur. Vrban. VIII. S. Congregat. 1653.

IV. A. R Pater Minister in Secretarium assumet Virum, vitæ integritate, & doctrinâ probatum, de consensu Polon. antiq.

Diffinitorii, qui Sigilla Provinciæ diligentèr cuſtodiat, non tamen iisdem in ſuis literis privatis utetur, & nonniſi commiſſa ab A. R. Patre Miniſtro pertractabit, fidelitatisqve ſuæ in omnibus gerendis ſervandæ Iuramentum in Item. 1722. Diffinitorio præſtare tenetur. Quod ſi ultra mentem Superioris Provinciæ ſuis privatis literis aliquid aliud expreſſerit per modum mandati alicui facto, aut Accuſatos, vel Delatos ad Superiorem, de Accuſatoribus, ac Delatoribus certiores fecerit, vel contentiones, aut jurgia inter Fratres ſeminaverit, ac ſcripta de mandato Superioris alterare, invertere, vel quôvis modo falſificare præſumpſerit, Officio privetur, & pro ratione delicti graviùs puniatur. Quas pœnas incurrat, munera à Superioribus Localibus, vel aliis extorquendo, vel ſpontè oblata acceptando, & ad reſtitutionem teneatur, ultrà alias in Decreto Clementis VIII. de muneribus ſancitas pœnas.

De Miniſtri Provincialis Officio, & Poteſtate.

I.

Tolet. 1658. A R. Pater Miniſter triennalis ſit, & finito triennio, ſi nullus ſit miſſus Commiſſarius Viſitator, aliquâ de causâ, ulteriùs ſex menſibus, cum licentia tamen Superioris Generalis continuare poterit; Quibus elapſis, teneat Sigilla, & gubernet Provinciam, tanqvàm Commiſſarius cum ſuo Diffinitorio, & Superioribus Localibus, ſed non habebunt votum in Capitulo immediatè ſeqventi, niſi diſ-
Trident. Seſſ. 24. c. 3. penſetur cum illis. Singulis annis ſemel totam Provinciam viſitabit, in uno tamen Conventu prolixiùs commorari non poterit, ultrà neceſſitatem; A cujus ordinaria Iuriſ-

risdictione, Obedientia, & Visitatione nemo ex Fratribus, ac Monialibus exemptus censeatur, nisi pro tempore Visitationis Generalis, ante Capitulum fieri solitæ: Cùm & Ipse Visitatori Generali subesse teneatur. Nihil sine Diffinitorio in rebus arduis decidere, nec Confessores Monialium, Lectores, & Prædicatores extra Capitulum, vel Congregationem, instituere, vel destituere, prouti & pœnas privationis Officii, vel Suffragiorum, declarare valet, sine assensu Diffinitorii, vel dato sibi compromisso, idqve prævio processu fieri debet, quoad pœnas per sententiam declarandas. Roman. 1639. Vallisolet. S. Cogreg. Regular. 1616.

II. Acta Capituli, ac Congregationum habeat, in qvibus determinata à Diffinitorio, uti & judicata adnotentur. Item. Series Noviciorum ad Professionem admissorum, specificato Die, Mense, & Anno, ac Conventu, ubi Professio eorum facta est. Tandem Catalogus mortuorum, Die, Mense, Anno, Conventu, & Officio expressis singulorum decedentium ibidèm inserantur. Commissarios particulares per Provinciam, nisi urgente de causa, & ad certa tantummodò negotia pertractanda non mittat. Quibus finitis, Commissariorum ejusmodi cesset authoritas. Ibidem.

III. Si Minister Provincialis aliqva de causa, potissimùm ob celebrationem Capituli Generalis, à Provincia discessurus est, necessariò in ejus locum Patres Diffinitores Commissarium Provincialem per vota secreta, & nemine proponente eligere debent, qui in absentia Ministri Provinciam regat, nihil tamen immutare poterit, aut innovare, nisi Minister ad propria redierit. Si autem Provincialem extra Provinciam mori contingat, præfatus Commissarius ab eo relictus, sub titulo, & appellatione Vicarii Roman. 1651 Salmant. c. 8.

Roman. 1639 & 1651. carii Provincialis, in Officio succedat, quousqve Capitulum Provinciale ad præscriptum triennii terminandi celebretur. Quando autem, absente Ministro, Idem Commissarius Provincialis moreretur, Provinciæ regimen ad digniorem Patrem cum eadem authoritate, & titulo Commissarii, usqve ad adventum A. R. Patris Ministri devolvatur, absqve ulla Electione. Si tandem sub regimine Commissoriatûs illius dignioris Patris, mors contingat Ministri Provincialis absentis â Provincia; Pater ille, qui Commissarius solum nominabatur, cum titulo, & authoritate Vicarii Provincialis, usqve ad tempus Capituli gubernet Provinciam.

Ibidem.

Conc. General. Roman. 1658. IV. Non accedente Ministro Provinciali ad Capitulum Generale, ob veras, & legitimas causas, (aliàs ultimum locum inter Ex-Ministros tenere decernitur,) eligatur â Diffinitorio per vota secreta, & nemine proponente, Commissarius, seu Pro-Minister, qui Provincialis votum deferat ad Capitulum, sitqve de corpore Provinciæ, & in ea Professus, vel â decem annis incorporatus. Et si ad Capitulum in Hispaniis celebrandum perrexerit, ibiqve suffragatus in Electione Ministri Generalis fuerit, Diffinitores actuales protunc existentes immediatè sequatur, & post illos immediatè præcedentiam habeat, si aliàs ab antè Lectoris Theologiæ, vel Guardianatûs in principaliori Conventu munia obierit, vel Prædicator eximius fuerit.

Tolet. 1658.

Vallisolet. 1593. V. Obviando veris, & inevitabilibus expensis, quas A. R. Pater Minister pro necessitatibus Provinciæ, tam domi, quàm foris in Curia, & Residenti Romano per personas idoneas facere tenetur, Statuit Congregatio Diffinitorii, ut singuli Conventus Provinciæ duos aureos, Præsidentiæ verò per unum vel medium quotannis contribuant ad ejusmodi necessitates sublevandas; Superiores contra

Polon. antiq.

tra venientes Officio priventur. Quod si major Expensa ratione Capituli Generalis advenerit, Patres Diffinitorii taxam determinabunt. Extraordinariæ verò Contributiones cum onere Conventuum, nisi in importanti, ac â Diffinitorio probata legalitate omninò interdicuntur. Conventus uterqve Custodialis ratione postæ, uti & Locus, ubi Archivum Provinciæ actu compilatur, ratione Expensæ, ab annualibus Contributionibus liberi declarantur. Ibidem, 1722. ac 1726.

VI. Ministri Provincialis Officio functus, non potest ad idem Officium reeligi, nisi sexennio, seu per duo Capitula vacaverit, prout ad Diffinitoratûs, vel Guardianatûs Officium in eodem Capitulo, in quo suum explet Officium promoveri non potest: Nec in Vicarium, aut Commissarium Provincialem eligi valet, nisi triennio vacaverit, sub nullitate Electionis: Ad munus tamen Custodis Custodum, si anteà non fuerit, vel sexennio ab ejus expiratione vacaverit, assumi, & eligi potest. Idem Successori suo Inventarium Suppellectilis Capituli Provincialis, uti mappas, vasa cuprea, stannea, vitrea, & ejusmodi sub Regestro consignare tenetur, sub pœna privationis retentorum. Ex antiqva Provinciæ praxi, Conventum pro sua mansione, cum licentia tamen, & dependentia Neo-Electi Ministri Provincialis, ac Successorum eligere potest, uti & gratum Socium, qui in domesticis, & privatis necessitatibus sibi inserviat, habeat, ac præcedentiam. Gregor. XIII & Gregor. XV. Roman, 1639. Ibidem 1726. Item antiq.

De Vicario Provinciali ob mortem Ministri.

I.

SI A. R. Pater Minister Provincialis in Officio, & intra Pro- Salmant, c. 8

Roman. 1639 & 1651. Provinciam moriatur, Guardianus Conventûs, ubi eum decedere contigerit, unà cum Secretario illius, Scripturas ad Provinciam spectantes in Inventarium referant & Sigillo minori Provinciæ munitas ad Digniorem, sive Primarium Provinciæ Patrem, qui primum locum inter Patres Provinciæ tenet, quam citiùs cum omni Inventario, ac Sigillis deferant; Qui Pater, sub privatione Patratûs Provinciæ per sexennium, quamprimùm, & absqve notabili mora, debet pro Electione Vicarii convocare ad Conventum sibi benè visum omnes Patres, qui sunt de corpore Vallisolet. 1593. Diffinitorii, ibiqve præsidere cum voce activa, & passiva, si aliàs non sit ad passivam vocem alio jure inhabilitatus ob non expiratam vacantiam. Quod si Idem Pater sit Diffinitor, Tolet. 1658. non potest renunciare Diffinitoratui, nisi casu quo ipse in Vicarium eligeretur, & tunc factâ Electione, non verò ante illam. Quod idem servari debet, si A. R. Pater Minister Provincialis Officio suo, legitimâ ex causa, renunciaret; Quod non est vetitum, dummodò renunciatio fiat coram Diffinitorio congregato, & juridicè acceptetur.

Roman. 1639 II. Is, qui, mortuo Ministro, vel quolibet eventu, in Vicarium Provinciæ assumptus est, usqve ad Capituli Provincialis celebrationem in Officio durabit, nullo tamen modo, ejus Officium potest extendi ultra illud tempus, in quo Minister defunctus debebat finire suum Ministeriatum. 1651. Et qui per biennium completum Vicarius Provinciæ extiterit, Patrum Provinciæ privilegiis, ac præcedentiâ gaudeat; Eos tamen subsequatur, qui Ministri Provinciales fuerunt. Absoluto tamen per biennium Officio Vicariatûs, in Ministrum Provincialem, aut secundò in Vicarium, nisi post triennium, eligi non potest. Qui verò per biennium integrum

grum non steterit in Officio, nullo gaudet privilegio, & absqve ullo Vacantiæ interstitio in Ministrum eligi poterit.

III. Qvod si Ministrum Provincialem primo sui Officii anno mori, sive, idem Officium ex quâvis causa vacare, seu cessare contigerit: Non Vicarius, sed Minister Provincialis novus eligi, vel à Superiore Generali deputari debet, qvi unà cum ejusdem Provinciæ Superioribus Localibus, atqve Officialibus ad triennium continuare potest, & debet, juxta Vrbani VIII. Constitutionem. Vrban VIII. 1625.

De Custode Provinciæ, qui Custos Custodum dicitur.

I.

IN quolibet Capitulo Provinciali Custos eligatur, etiamsi Capitulum Generale non sit celebrandum illo triennio. Hic semper sit primus inter Diffinitores; Vnde qualitatibus ad Diffinitoratum requisitis præditus esse debet. Ad Custodiatum ergo, uti & ad Diffinitoratum nemo eligi potest, nisi trigesimum annum ætatis, & Religionis decimum quintum excesserit, & in Prædicationis, aut Lecturæ munere per annos saltim quatuor laudabilitèr versatus fuerit, aut Noviciorum Magister, sive Secretarius Provinciæ, vel Guardianus triennio laudabilitèr extiterit, & morum gravitate, vitæqve integritate ornatus sit, alitèr Electiones nullæ sint. Roman. 1581. Vallisolet. 1593.

II. Custos ultra triennium prorogari, nec reeligi ad idem munus, nisi transacto sexennio potest, nisii duos annos Officii non compleviſſet, quia tunc nullo gaudet privilegio, & ad idem Officium reeligi, uti & ad Diffinitoratum S. Congreg. 1651.

ratum poterit, absqve ulla Vacantia. Post expletum tamen triennium Custodiatûs poterit immediatè eligi in Pro-
Tolet. 1658. vincialem, & Guardianum, non verò in Diffinitorem, nisi tribus annis vacaverit, & aliàs ab antè non fuerit Diffinitor, ob necessarium Vacantiam sex annorum. Custos electus extra Capitulum à solo Diffinitorio, ob mortem, aut renunciationem sui Antecessoris, si per duos integros annos functus sit Officio suo usqve ad Capitulum inclusivè, & etiamsi biennio non duraverit, si tamen in Generali Capitulo suffragatus fuerit, omnibus Privilegiis gaudeat, ac si esset triennalis, nequaquàm verò his conditionibus deficientibus. Ex sola absentia Custodis nulla fiat subrogatio, vel substitutio in Diffinitorio, benè tamen ex renunciatione, vel morte, sed non per subrogationem, nisi per secretam Electionem Diffinitorii. Ad Capitulum Generale Custos Provinciæ tenetur scripturas publicas Syndicationis, si quæ adderunt ex Provincia contra Superiores, secum deferre, vel illis deficientibus, testimonium Patrum habere.

De Diffinitoribus.

I.

Vallisolet. 1593. Gregor. XV. DIffinitores quatuor iisdem qualitatibus, annisqve ætatis, ac Religionis, quibus Custodes, prædititi esse debent, sub nullitate Electionis, & in uno Capitulo electi, ad idem Officium, nisi sexennio elapso reeligi non possunt; Benè tamen in Custodem, vel Ministrum, ac Guardianum absqve ulla Vacantia. Diffinitor Actualis, Guardianus esse non potest, (idem de Custode Actuali Provinciæ judicium) nisi à Generali, urgenti de Causa cum eo dispensetur.

Illo

Illo tamen tempore, quo Guardianus extiterit, non gaudebit Diffinitoris Officio; Nequit etiam esse Confessor ordinarius Monialium, uti & Mgister Noviciorum. Duo Fratres germani in Provinciolatu sibi succedere immediatè non valent: Nec duo Consangvinei usqve ad quartum gradum inclusivè, simul Diffinitores esse, vel eligi possunt, & multominùs poterit ex eadem Cognatione, seu Consanguinitate eligi Provincialis, & Diffinitor, vel Custos, & Diffinitor in eodem Capitulo, sub nullitate Electionis. S. Congreg. 1661. Vrban. VIII Roman. 1639

II. Si Diffinitor aliquis moriatur, vel Officium quocumqve modo vacaverit, fiat semper subrogatio in Personam Patris Dignioris illius, videlicèt, qui Primus inter Patres Provinciæ, etiam titulo Jubilationis computatus erat, quamvis non fuerit Ex-Minister, si aliàs anterior Pater non fuerit. Subrogatus autem si per biennium integrum in Officio perstiterit, in sequenti Capitulo Diffnitor eligi non potest, nec iterum subrogari valet, nisi biennio à subrogatione præcedenti vacaverit; Subrogari tamen potest, qvin sit completum tempus Vacantiæ post Diffinitoratum Actualem. In legitima verò absentia Diffnitoris actualis, ob infirmitatem, vel egressum de Provincia, non dicitur propriè subrogatio, sed substitutio pro hac sola vice, quæ potest esse sine ulla Vacantia. Qvod si aliquis Diffinitorum legitimè non impeditus, vocatus ad Diffinitorium convenire renuerit, Officio privetur, & ejus loco Dignior Pater per assensum Diffinitorii subrogetur, ut suprà, etiamsi sit actu Guardianus, qui hujusmodi munus Guardianatûs exercebit, usqve ad novam Electionem Guardianorum Congregationis immediatæ, vel Capituli Provincialis. Roman. 1642 Bened. XIII. 1725. Roman. 1600. Roman. 1642

III. Privilegia Diffnitorum Actualium, uti & Custo- Roman. 1681

Ibidem. Sambuc. Fol. 201.

dum Provinciæ sunt, quod suffragentur in omnibus Electionibus, Judiciis, Sententiis, & deliberationibus Provinciarum, quod præcedant juxta Statuta respectivè: Inter se verò hunc ordinem servare debent, ut Custos præcedat Diffinitores, nisi fuerint Ex-Ministri, vel Lectores Jubilati. Diffinitores verò inter se præcedant, qualiter ante Diffinitoratûs Officium inter se præcedebant. Tenentur tamèn interesse Choro cum aliis Religiosis die, noctuqve bono exemplo prælucere observare vitam communem in victu, & vestitu, & petere licentiam eundi ex Conventu â Superiore Locali.

De Patribus Provinciæ.

I.

PAtres Provinciæ propriè, & rigorosè sunt illi, qui Ministri, & qui biennio fuerunt Vicarii Provinciales, Lectores Jubilati, de numero gaudentes omnibus Privilegiis, & prærogativis Ex-Ministrorum Ptovincialium, quoad Socium, locum eligendi, & præcedentiam. Item Custos Custodum, & Diffinitores Actuales, quamdiù non expirat eorum Officium. Hi omnes sunt Patres Provinciæ cum titulis, honoribus, & Privilegiis Patrum, & cum Jure subrogandi, qui debent inter se observare ordinem, & præcedentiam, ex antiquitate Electionis, & Patratûs. Patres Provinciæ lato modo, & ex usu Religionis sunt Custodes, & Diffinitores habituales, & etiam Aggregati, qui ultrà quatuor cum privilegio Diffinitorum habitualium â Diffinitorio instituti non possunt, sub nullitate Institutionis: Ita tamen, ut hi ingrediantur numerum sexdecim Patrum Diffinitorum Habitualium.

Ibidem, Fol. 39.

II. Et

II. Et quoniam hæc noſtra Provincia, ultrà triginta habens Conventus formales, inter Almas, ſeu magnas meritò numeratur, Sexdecim, & non ultrà, Patres lato modo ſumptos, (non numerando Ex-Miniſtros, & Lectores Jubilatos,) habere poteſt. Proindè ſi contingat, quòd ſimùl, & ſemèl duodecim Diffinitores ex Electione, & quatuor ex aggregatione invenirentur ſuperviventes, inter quos numerari debent Cuſtodes Habituales, & Actualis cum actualibus Diffinitoribus, qui utiqve in futuro Capitulo evadent Habituales, (niſi aliàs Ex-Miniſtri, vel Lectores Jubilati fuerint,) in tali eventu non poſſunt alii Diffinitores Actuales eligi, niſi vel ex Patribus Ex-Miniſtris, & Lectoribus Jubilatis, vel ex Diffinitoribus Habitualibus, qui aliàs ſexennium Vacantiæ à Diffinitoratu actuali expleverint, vel ex Diffinitoribus Aggregatis, ne aliàs invalidaretur Electio, ex ſupernumerariis Patribus, qui ultrà ſexdecim ſimûl & ſemel eſſe non poſſunt.

Vallisolet. 1593.

Salmant. c. 8.

III. Patres Provinciæ Ex-Miniſtri, ac Lectores Jubilati, unà cum Diffinitoribus Actualibus vocandi ſunt ad Capitulum, & ad Congregationes intermedias, ac alias, quas pro opportunitate & emolumento Provinciæ celebrari contigerit, ut ſuis ſanis conſiliis A. R. Patrem Miniſtrum adjuvent, & fulciant, in materiis occurrentibus, & ponderoſis. Patres Ex-Miniſtri, & eorum Privilegiis gaudentes, à Superioribus Provincialibus, & Commiſſariis, etiàm Viſitatoribus Generalibus officio privari, vel ad notabilem aliquam punitionem, aut confuſionem ſubeundam cogi non poſſunt, niſi de conſilio, & aſſenſu Miniſtri Generalis, ac majoris partis Patrum Provinciæ.

Polon. antiq.

Vallisolet. 1593.

Sambuc. c. 7. Fol. 123. n. 38.

De Gvardianis.

I.

Bened. XIII. 1725. GVardiani eligantur, prævio de dignioribus eligendis Juramento, â Diffinitorii Patribus præstito, qui vitæ integritate, morum innocentiâ, Regularis disciplinæ zelo, scientiâ, & rerum gerendarum dexteritate Prædíti fuerint.

Roman. 1581 Nec ad tale Officium eligi possunt, qui trigesimum annum ætatis, & Religionis decimum non compleverint, aut aliqvâ infamiâ natalium, vel criminis, laboraverint sub nullitate Electionis, ac anteà Vicariatûs, Lecturæ, vel Secretarii Officiis functi fuerint, nisi ob paucitatem alitèr fieri Electoribus videatur.

Item. 1642.

II. Gvardiani in Officio suo usqve ad triennium etiam in eodem loco cotinuare possunt, si ob commune bonum Diffinitorio ita visum fuerit, sed ultra triennium eorum munus nullatenùs prorogetur, nec in eodem, nec in alio Conventu, nec sub titulo Guardiani, nec sub vocabulo Præsidentis. Quod si alicui Conventui vacanti Præsidens

Paul. IV. Roman. 1612 Salmant. c. 8. destinatus fuerit, Idem ejusdem Conventûs Guardianus fieri immediatè non potest, sub nullitate Electionis ipso facto, & sub privatione Officii Provinciali consentienti. Guardiani primâ vice instituti, altero anno vacent, antequam ad continuandum posteà eligantur: Sicuti â completo triennio sui Officii per annum saltim vacare tenentur, qui non sit minor undecim mensium; Nec sint simul

Ibidem. Magistri Noviciorum, vel Confessores Monialium, Chorum frequentent, Hebdomadam faciant, nec passim de Conventu exeant, sub pœna Depositionis ab Officio.

Clem. VIII. de Reform.

III. Non licet A. R. Patri Ministro Provinciali, privare Gvardianum Officio, absqve processu, & assensu

Dif-

Diffinitorii, in casibus tamen, ubi per Statuta privatio, vel depositio injungitur, suspendere ab eodem Officio potest, prouti & liberam resignationem ejus acceptare, usqve ad approbationem Patrum Diffinitorii. Non licet item extra Capitulum, & Congregationem, mutare Gvardianum de uno Conventu ad alium, nisi de consensu Diffinitorii, ac utriusqve Guardiani permutati voluntate. Tolet. 1658.

IV. Patres Custodes, sive Gvardiani Conventuum, Posnanienſis, & Varsavienſis, nullam sibi usurpent Jurisdictionem in aliis Conventibus suæ Custodiæ, cum sint cæteris Guardianis æquales in Officio, exceptâ sola præcedentiâ, quam habent, cæteris paribus. Triennio tamen, suo munere laudabiliter fungentes, ad altiores dignitates promoveri possunt. Omnes Superiores Locorum, quam primum ex Capitulo, vel Congregatione, ordinati, ad proprios Conventus devenerint, Illustrissimis Locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis, & Officialibus sese præsentent, approbationemqve, pro se, & suis Subditis, quoad Confessiones Sæcularium audiendas, & qvoad Casus reservatos humiliter petant, ac licentiam prædicandi pro suis Prædicatoribus. Inquirant seriò de conversatione Fratrum sub tempus Capituli, ac delinquentes, etiam obedientiales habentes, ad præscriptum Statutorum puniant. Extra Qvæstæ suæ limites, nec ipsi exire possunt, nec Subditos mittere, sine licentia A. R. Patris Ministri. Singulis quatuor temporibus ad minus, Cellas suæ Communitatis (exceptis Patribus Provinciæ) visitare, & superflua, ac inconvenientia tollere ex eis tenentur. Vallisolet. 1593. Polon. antiq. Vallisolet. ibidem.

V. Superiore Loci absente, Pr. Vicarius in Conventu maneat, & econverso, ita, ut semper, & continuò alteruter Communitati præsideat. Idem Superiores juxta Decretum Vrban VIII. & Innocentii XII. Missas plures non recipiant, quam Vrban. VII. Innoc. XII. de celeb. Miss.

quòt per duos menſes abſolvi valent. Officiales ex Capitulo aſſignatos pro ſuo placito mutare nequeunt, absqve ſcitu A. R. Patris Miniſtri, vel Discretorum conſilio, ſi aliter fieri non poterit. Nullum ex ſuis Subditis Perſonam maleficam exorcizare permittant, præter eos, qui ab A. R. Patre Miniſtro de conſenſu totius Diffinitorii, ac Loci Ordinarii, licentiam in ſcriptis habuerint, ſub pœna privationis Officii. Fratres verò id præſumentes, actibus legitimis priventur, & carceri mancipentur ad arbitrium. Simplex tamen Benedictio, vel Exorcismus Domorum non interdicitur, de Superioris licentia.

Polon. antiq.

Ibidem. 1640

VI. Imminente, (quod Deus avertat) peſtis periculo, Superiores Locales tempeſtivè de Fratribus disponant, aliquos pro Cuſtodia Conventûs retinendo, alios exemplares ad Benefactores ordinando, ſcandaloſos verò ad viciniores Conventus remittendo, quos ſub pœna inobedientiæ alii Superiores recipere tenentur. Tempore belli, vel incurſionis, libros Bibliothecæ, ac Suppellectilem Eccleſiæ ad Locum tutiorem tempeſtive transferant. Nomina Fratrum in loco quiescentium, & ſingularium Benefactorum, tam vivorum, quam Defunctorum, potiſſimum in Eccleſiis noſtris ſepultorum, in libro Archivii adnotari faciant. Item. Munimenta, & Chyrographa Fundationis, Privilegia, & ejusmodi ſcripta tuto in loco conſervent, ne corrumpantur, vel corrupta renovari procurent, ſub pœna Depoſitionis ab Officio.

De Vicariis, & Diſcretis Conventûs.

I.

Valliſolet.

VIcarii Conventuum, prudentiâ, & Religioſis moribus præditi, annorum ætatis triginta, Religionis verò decem com-

completorum instituantur, qui ad Iuventutis instructionem, Communitatis in absentia Guardianorum pacificam gubernationem, idonei fuerint, Officio Chori, die, ac nocte, semper adsint, ut debito modo, diligentèr, & exacte ad præscriptum Rubricarum persolvatur, Superiorem Loci in re domestica, regulari disciplina, & communi qviete, bonoqve ordine conservando, adjuvare tenentur, sub pœna arbitraria, & in absentia Superioris, uti legitimi Præsidentes cum omnibus prærogativis, & privilegiis Conventum gubernent. Recitando Officio parvo de Beata, uti & manualibus Exercitiis omninò intersint, & præsente in Conventu Patre Guardiano in locis particularibus ad mensam legere, & orbes lavare cum aliis obligantur, sub pœna arbitraria A. R. Patri Ministro reservata, juxta superius dicta Cap. III. de Mensa Fratrum, Num. IV. In Officio Vicariatus laudabiliter sese gerentes ad Guardianatum promoveantur. Polon. antiq.

II. Discreti in unoquoqve particulari Conventu quatuor instituantur, inter quos sit semper Vicarius Loci; In Majoribus verò plures esse possunt, & debent, pro ratione dignitatis, ac meritorum, qui in occurrentiis Superioribus Localibus salutaria consilia dare, & in corrigendis, ac puniendis defectibus, vota pro ratione delicti ferre, ad præscriptum Statutorum tenentur. Si qvis verò Discretorum injustam Causam defenderit, aut aliquam turbationem in Discretorio suscitaverit, aut vocatus, & requisitus venire, & votum dare nolverit, aut ibidem dicta, vel facta manifestaverit, è Discretorio excludatur, & graviùs pro ratione culpæ ab A. R. Patre Ministro puniatur. Vallisolet.

III. In decisione Causarum pluralitas votorum concludit; Si tamen pluralitas evidenter rationi minùs consona, vel Statutis, aut Juri contraria fuerit, Superior eam seqvi non tenetur, sed iterum examinari faciat. Declaratur omnes Patres Provinciæ, item, Diffinitores actuales, & habituales, Lectores Theologiæ Generales, Ex-Secretarios, ac Generales Prædicatores, semper habere votum in Discretorio Locali, ubi residenti, non obstante sufficientiâ, & numero aliorum Discretorum. Patres Discreti pro antiquitate habitùs, seu Religionis, vel titulorum, & meritorum qvalitate, ordinem & Præcedentiam servent inter se. Lectores tamen Theologiæ in Studiis Generalibus omnes alios præcedant, inter se verò pro antiqvitate Habitus, vel Laboris, aut gradus prærogativa, post hos Prædicatores Ordinarii in Custodialibus Conventibus ante alios Discretos primum locum teneant.

Polon. antiq.

De Magistris Noviciorum.

I.

Salmant. c. 2. Magistri Noviciorum in singulis Capitulis Provincialibus in unoquoqve Noviciatu, cum consilio, & unanimi assensu Patrum Diffinitorii deputentur, qui ad minus triClem. VIII. ginta quinqve annos ætatis excesserint, ac Guardianatus Offiicio laudabiliter triennio functi fuerint, & cantûs Ecclesiastici Scientiâ, morum gravitate, prudentiâ & discretione prædíti existant; Qui Novicios doctrinâ, simul & exemplo instruant, juxta speculum Divi Bonauenturæ, eosdem in viam mandatorum Dei dirigant, Doctrinam Christianam, Regulæ Præcepta, & Declarationes Nicolai III. & Clementis V. & alia, quæ Statum Regularem concernunt, doceant.

II. Pro

II. Pro antiqua Provinciæ hujus consuetudine Pater Magister mortificationes, potissimum singulis Quatuor Temporibus, honestas & discretas, Noviciis in Refectorio faciendas injungat, nimirum, Crucis bajulationem, velamen oculorum, frænalignea, & ejusmodi, prout discretio suadebit. Cellas sæpiùs visitet, & omnes confabulationes, vel compotationes rigide coerceat. Circulum post prandium, & Collationem, sive Cœnam, singulis diebus cum suis discipulis habeat, ibiqve in moribus, puritatibus, & observantiis religiosis instruat, defectus commoneat, errata corrigat, zelum mansuetudine temperando. Magister extra Conventum non egrediatur, nisi in publica necessitate, eâdem die ad Conventum rediturus, nec in alio Officio, & ministerio occupetur, quod eorum muneri impedimento esse possit. B. Ladisl. 1488. Vallisolet.

III. In Officium Magistri nemo se ingerat. Novicios nemo increpationibus, vel redargutionibus impetat, præter Loci Superiorem. Nemo eosdem ad servitium particulare evocet, sine scitu, & licentia Magistri, sub pœna disciplinæ. Qui curam, & Magisterium Noviciorum, sine legitima causa, à Diffinitorio probata, recusaverit, ad omnia Officia Religionis, sexennio, inhabilis, existat. Qvi verò libenter illud subierit, & triennio saltim laudabiliter exercuerit, ad altiores gradus Religionis promoveri potest. Qvod si continuò per sexennium, ejusmodi Officium laudabiliter tenuerit, Diffinitoris gradum per aggregationem obtineat, ac Privilegio Diffinitorum Habitualium gaudeat. Polon. 1640. Tolet. 1633.

De Confessoribus Monialium.

I.

CONfessarii Monialium sint annorum ætatis ad minùs quadraginta, Religionis verò viginti, eruditione, ac morum Salmant. c. 8

Vallisolet. 1593. Polon. 1640. innocentiâ conspicui, qui postqvam fuerint in Capitulo, vel Congregatione instituti, Confessiones Monialium audire non possunt, sub nullitate absolutionis, nisi priùs ab Ordinario Loci, vel ejus Vicario, sive Officiali, specialiter ad id munus approbentur, etiamsi ab antè ejusdem Monasterii, vel alterius Confessores cum simili approbatione exstiterint. A Capitulo, vel Congregatione, per triennium suis fungantur Officiis, qui tamen ad singula Capitula, & Congregationes, per literas resignare tenentur, ut de eis Diffinitorium disponat, proùt melius in Domino judicaverit. In eodem Conventu munus Confessoris Monialium obire neqveunt ultrà triennium, nec deinceps institui possunt, nisi triennio vacaverint, ad idem Monasterium.

Gregor. XV. c. Inscrutabili. Roman. 1651.

II. Socii Confessariorum, Fratres Religiosi, moribus graves, ac ætate provecti ab A. R. Patre Ministro assignentur, qvi eis semper assistant, & in Divinis inservire tenebuntur. Confessores, multò minùs alii Fratres, non se ingerant in regimen, & negotia Monialium, præter A. R. Patrem Ministrum; Vel in ejus absentia Superiores Locales, quibus iidem Confessarii in omnibus subjecti sint; exceptis iis muniis, quæ ad eorum spectant Officium. Et diebus illis, quibus à Confessionibus liberi sunt, Divinis Officiis interesse tenentur. Exeuntes ad Moniales, & redeuntes, benedictionem à Superiore Loci petant, nec aliò divertant absqve licentia, sub pœna Apostasiæ.

Vallisolet. Polon. 1640.

III. Confessores Monialium nullas confidentias cum particularibus Monialibus habeant, qvæ possent esse fomentum inimicitiæ, aut minoris propensionis, sed omnium æqualiter saluti, & paci attendant, sub pæna depositionis, & graviori pro ratione delicti subeunda. In his, quæ tangunt

Polon. 1714.

gunt absolutionem in foro conscientiæ, habeant plenariam potestatem absolvendi ab omnibus Casibus, juxta Privilegia Ordini Nostro concessa, quam illis concedit Congregatio Capitularis ex motivis rationabilibus. Victum, & vestitum pro Confessariis ordinariis, ubi est consvetudo, Monasteria providere tenentur. Polon. 1726.

IV. Ad audiendas Infirmarum, vel morientium Confessiones associati vadant cum Sociis sibi assignatis intra Clausuram, recto tramite, aliò in ingressu, vel egressu, non divertentes, aut ultrà tempus necessarium commorantes; Idem faciant in communicando, sed insuper superpelliceo induti, ob reverentiam Sacramenti. Si quæ autem Monialis in articulo, vel periculo mortis constituta, extraordinarium petierit Confessarium, id ei non denegetur, cum in tali casu quilibet Sacerdos sit proprius. Canon. Roman. 1651

V. Confessarius extraordinarius quatuor vicibus in anno ab A. R. Patre Ministro, vel in ejus absentia, â Superiore Locali, etiam vicinioris Conventûs, pro Vielunensi Monasterio illis concedatur, qvi ab eisdem Monasteriis pro sua consolatione spirituali postulabitur, ità tamen, ut intra biduum, suum munus expediat, & ab Ordinario Loci specialiter toties, qvoties, approbetur, qvi pariter Confessarii Ordinarii facultate qvoad Casus reservatos, sibi in hac parte concessa â toto Diffinitorio, potiri, & uti valeat. Quo vero tempore Extraordinarius Confessiones audierit, Ordinarius ad Ecclesiam, & Confessionale accedere non præsumat, ut eò liberius Extraordinario Confessori confiteri valeant, nisi aliqua, vel aliqvæ Ordinario Confessori pro suo libitu confiteri voluerint; Quod non est vetitum, tamen ab Extraordinario benedictionem petere tenentur. Ibidem. Polon. antiq. & 1726. Canonistæ.

De Cantoribus.

I.

B. Ladisl. 1488. PAtres Cantores attendant, ut noſter Cantus ſit Religioſus, gravis, moderatus, & non clamoroſus, ne vel nimia feſtinatio arguat indevotionem, vel nimia prolixitas pariat faſtidium. Miſſæ cantatæ, (quæ choraliter cantari debent â Fratribus, in Choro exiſtentibus,) ex Libris, ad id conſcriptis cantentur. Qui Libri, ne aliqvod detrimentum patiantur, debitis modis tractentur, & conſerventur, ſub pæna disciplinæ. Cantores cum Fratribus ad evitandam confuſionem in Choro, tempeſtivè prævideant, qvæ ſunt cantanda.

Polon. antiq. II. Adjutor Cantoris ſemper in Tabula Officiorum per Hebdomadam ſcribatur. Si quis Pater, aut Frater malitioſe cantare noluerit, disciplinâ, & jejunio in pane, & aqua puniatur. Cantores opportuno tempore Miſſas perſolvant, ut ſemper Choro adſint, quando cantandum eſt. Et qvi laudabiliter ſuo funguntur Officio, ad majores di-
Item. 1726. gnitates promoveantur. Qui verò per ſexennium Libros Chorales ſcripſerint, vel per tale tempus alios Fratres in Cantu cum emolumento Provinciæ exercuerint, titulis, & prærogativis benè meritorum condecorentur.

De Sacriſtianis.

I.

SAcriſtiani habiles, & tanto muneri pares inſtituantur, qui invigilabunt, ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in mundiſſimo tabernaculo obſeratum, conſervetur, quod

quod quôvis Sabbatho Hebdomadarius renovare tenebitur. Sanctorum Reliqvias integrè, Corporalia mundè, Vestitum Apparamentorum, Imaginum Vota, & totius Ecclesiæ Suppellectilem fideliter asservare, & custodire tenetur, sub pœna pro ratione culpæ, vel negligentiæ infligenda. Ad Matutinum in media nocte, ad Meditationem, vel primum Sacrum horâ qvintâ excitent, & pulsent, Ad Sextam, & Nonam, horâ Decima vel mediâ undecimâ diebus jejunii. Majorum autem Campanarum usus, nisi in Festis primæ Classis, tam de die, qvaam nocte; & de die in Festis secundæ Classis, Votivis solemnibus, Concionibus, & Processionibus publicis, & Funeralibus conceditur.

II. In Sacristiis munditiem, & Silentium servent, de Vesperi lumen non habent, nisi ad modicum tempus, absolutâ Solemnitate, statim apparamenta servent. Qvorum omnium, totiusqve Suppellectilis Ecclesiasticæ Inventarium habeant, alterum sit penes Superiorem Loci; & secundum eadem Inventaria, omnia, & singula ante Capitulum, & Congregationem Intermediam, prouti & Successori in præsentia duorum Patrum Discretorum Loci reddere, & resignare tenentur. Si qvid autem destruxerint, vel amiserint, pro ratione culpæ puniantur. Sacerdotes celebraturos tempestive præmoneant, & charitative expediant; In celebrandis Missis negligentes Superiori deferant, sub pœna disciplinæ. Polon. antiq.

III. Ecclesiam opportuno tempore aperiant, & claudant, caveantqve tunc temporis â colloqviis Sæcularium, sed colloqvia expetentes ad portam remittant. Apparatum pro diversitate Festorum tempestive ad Missæ Sacrificia exponant, & nonnisi ad beneplacitum Superiorum Lo- B. Raphael. 1526.

Polon. 1726. calium; Quos seriò monemus, ne pro fastu suo, diebus non solemnibus, solemni apparatu utantur, cùm notabili detrimento Conventûs, sed memores paupertatis, viliores Casulas sibi, & aliis Patribus, diebus non festis, exhiberi faciant, scientes, non apparamenta, sed mundam conscientiam in Sacrificiis Deo per omnia placere.

Ibide, antiq. IV. In Conventibus Custodialibus, Posnanienſi, & Varsavienſi Sacristiani Sacerdotes, & quidem prudentes, ac idonei à R. Patre Ministro instituantur, qui sint simul Confessarii Sæcularium, & Fratrum, pro meliori Celebrantium commodo, & Hospitum Sacerdotum opportunitate, qvibus unus ex Fratribus pro adjutorio concedatur. Sacristiani, exceptis diebus Disciplinæ, â Matutino sint liberi. Eodem Officio laudabiliter functi, charitative â Superioribus tractentur, & ad altiora promoveantur. Infideles vero, ac pro Missis oblatam eleemosynam aliò distrahentes, vel in usus proprios convertentes, uti proprietarii puniantur.

De Organariis.

Polon antiq. ORganarii sonum Organorum ad suum placitum non protrahant, sed pro ratione temporum, & Festivitatum, idem Sonus moderetur. Caveant, ne ludicra, aut profana sacris immisceant, sed religiosè, & devote, ante thronum Dei suam artem exerceant, sub pœna disciplinæ. Si alicubi Organa corrumpi incipiant, præmoneant Superiores, ut tempestive reparentur. Idonei hoc Officium recusantes, vel artem præfatam discere nolentes, pœnis Inobedientium compellantur. Commendat Diffinitorium A. R. Patri Ministro, ut Clericos, & Fratres Juvenes pro instru-

ſtructione pulſus Organorum hac in arte peritis aſſignet Organariis. Qvos ſi alios edocuerint, charitative foveat, vel ad alia Officia cum dignitate conjuncta promoveat, ſi fuerint Sacerdotes. Inhibetur Organariis, ne Sæculares ad Chorum, dum Organa pulſantur, intromittant, ſed ſemper obſeratum Chorum habeant, & cuſtodiant ſub pœna disciplinæ.

De Proviſoribus.

I.

PRoviſores, Viri religioſi, & moribus graves inſtituantur, utpotè omnium Fratrum repræſentationem in ſuis Perſonis cirumferentes, extra Conventum ultra duas ſeptimanas non morentur, ſub pœna detentionis in domo diſciplinæ. Domum redeuntes qvamprimum confiteantur, Obedientiales, vel teſtimonium ſuæ miſſionis in ſcriptis ſemper penes ſe habeant, ne, ut Apoſtatæ, ab aliis notentur. Benefactoribus non ſint nimium oneroſi, ſed modeſte, & humiliter neceſſaria petant. Sobrie, & exemplariter inter illos, absqve Novalium, vel discordiarum fabulatione converſentur, ſub pœna pro ratione delicti ſubeunda. Egreſſuri de Conventu Clavim Cellæ penes Superiorem relinquant. Superiores Locorum Proviſoribus, ad Conventum redeuntibus, ſpecialem exhibeant Charitatem, portionem extraordinariam ſubminiſtrantes. Scandaloſos verò, & Proprietarios puniant, & extra Conventum non licentient, & qvamprimum A. R. Patrem Miniſtrum de iisdem certiorem faciant. Nullam rem privatâ authoritate vendant, aut diſtrahant nihil donet etiam Noſtris, aut occultent, ſed omnia acquiſita fideliter, & integre Superioribus conſignent, ſub pœna proprietatis; Quam pœ-

Polon. antiq.

Item. 1640.

nam incurrant, equos commutantes, vendentes, aut alienantes, sine expressa licentia, & interventu Syndici Apostolici. Superiores alio modo id permittentes, Officiis priventur.

B. Ladisl. 1488. II. Quæstas aliorum Conventuum non invadant, causâ petendæ eleemosynæ, sed suis territoriis, & limitibus præscriptis sint contenti, sub pæna privationis acqvisitorum, ac Apostasiæ. Quæ de Provisoribus, sive Quæstuariis superiùs Cap. IV. num. IV. Item Cap. VI. num. I. Et ibidem de Eleemosyna petenda num. I. præscripta sunt, ad amussim sub iisdem pœnis observare tenentur.

De Pannificibus.

I.

FRatres Pannifices, hac arte præditi, in Conventibus, ubi sunt ejusmodi Officinæ, collocentur, qvibus alter Frater junior pro adjutorio, & exercitio assignetur ab A. Polon. 1720. R. Patre Ministro. Volumina panni, benè & compactè laborata faciant, ita, ut quodlibet Volumen triginta tres in longitudine, unam, & mediam ulnam in latitudine justæ dimensionis contineat. Quibus Superiores Loci pro qvolibet Volumine duo pondera, aliàs dwa kamienie, lanæ, ad ejusmodi facturam consignent.

II. Ipsimet Fratres per Personas idoneas lanam sibi electam procurent, de licentia Superiorum, ut hac ratione eorum querelæ, & subterfugia compescantur. Cilicia in- Item. 1726. terdicta nullus Frater Pannifex absqve expressa A. R. Patris Ministri licentia in suis Officinis laborare audeat, sub pœna

na Inobedientiæ. Qui verò lanam sibi concreditam aliò distrahere, sive pro labore pecuniam extorquere, vel sponte oblatam recipere præsumpserit, aut pannum non benè ac solide compactum fecerit, ac Conventum in aliquo defraudaverit, Proprietariorum pœnâ duplicatâ tamen, puniatur. Bene verò in hoc Officio sese gerentes, charitative à Superioribus Locorum tractentur, & necessaria eisdem provideantur in propria Specie.

De Sartoribus.

FOrmam Habitûs superiùs præscriptam in suis Officinis habeant Fratres Sartores: Vestimenta Fratrum lacerâ charitative, & promptè reficiant, non tamen monstrosas repetiationes, quæ singularitatem sapiunt, introducant, sub pœna disciplinæ. Linteamina, pelves, & alia, ad Officium rasuræ conservent; Qvibus tam ad rasuram, quam ad repetiationem Veterum, & facturam novorum habituum, omnia necessaria Superiores Locorum providere tenentur. Idem de reparatione apparatûs Ecclesiastici sit judicium, quem tempestive, antequam ex integro corrodatur, iidem Superiores resarcire procurent, sub pœna Inobedientiæ. Vestes Sæcularium, & res Noviciorum, (denariis exceptis,) Frater Sartor fideliter, & integre conservet, usqve ad emissam Professionem, sub pœna Proprietarii. Eandem incurrat, qui in consuendis Habitibus, aliisqve Vestimentis Fratrum infideliter se circa pannum gesserit. Item antiq.

De Canapario, Coco, & Portulano.

I.

FRater Canaparius seriò invigilabit, ne ipsius negligentiâ in rebus sibi commissis Conventus detrimentum patiatur. Ibidem.

tiatur. Antequam se ad decumbendum conferet, omnia Loca, & Officinas Claustri inferioris lustrabit, ob ignis periculum: januas omnes obserari faciet, & potissimùm portam majorem Areæ Conventùs clausam de die, & nocte habeat, à qua Clavim de Vesperi Superiori Loci qvotidie reddere tenetur sub tempus noctis, prouti & alteram nempe Canapæ. Ad mensam omnia necessaria tempestive præparet, Officinas inferiores, uti & Canapam, ac Refectorium in munditie conservet. Haustus freqventiores non ex necessitate, sed ex prava consvetudine, Fratres extorquentes, Superiori deferat. Negligens in suo „Officio juxta rationem delicti puniatur.

II. Frater Cocus in cibis præparandis charitative cum debita munditie, ac diligentiâ, aliis inserviat; Cibos paratos tempestive ad Refectorium extradat, ne suâ ignaviâ det alliis causam distractionis. Ad interiorem Officinam sæculares non intromittat, nec extraordinarias Collationes Fratribus præparet, sub pœna disciplinæ; nisi fortè ex infirmitate convalescentibus, vel prandio non expectato è Conventu egressuris. Pro infirmis tamen fercula extraordinaria, & sapide decocta paret, illorumqve talem curam habeat, qualem Fraterna Charitas, & Præceptum Regulæ circa infirmos exigit.

III. Præfectus Portæ Conventus, Frater maturus, & exemplaris sit, qui opportuno tempore claudat, & aperiat, venientesqve extraneos decenter, & humiliter excipiat, & quâ decet, humanitate expediat. Ad portam nullum, præter Discretos, absqve Superioris licentia, vocabit, sub pœna disciplinæ; Quâ pariter puniatur, si ex Choro, vel Oratione qvemquam absqve „scitu „Superioris evocaverit,

Polon. antiq.

Proli-

Prolixioribus Confabulationibus ad portam vacantes, aut minus religiosè sese gerentes Patri Guardiano deferat, nec Conventui delata ad usus proprios accipiat, sub pœna arbitraria.

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

I.

NVllus Fratrum audeat prædicare, nisi à Diffinitorio, vel ab A. R. Patre Ministro, cum duobus ad minùs Diffinitoribus fuerit examinatus, & approbatus; Contrafaciens ut publicus Regulæ Transgressor puniatur, actuum legitimorum privatione. Formales Prædicatores nonnisi illi instituantur, qui ad minus per biennium integrum Sacræ Theologiæ operam dederint, & suæ idoneitatis, ac religiosæ conversationis à Superioribus Localibus, & Patribus Lectoribus testimonium habuerint. Aliarum Provinciarum Patres, nisi fuerint legitime incorporati nec ad Prædicationis, nec ad Confessariorum munus promoveri possunt. Contradicente Loci Ordinario, nemo prædicare valet. Proinde ab eo à singulis Concionatoribus petenda est licentia. Vallisolet. Tolet. 1612. Polon. 1640. Roman. 1600 Regulæ Textus.

II. Prædicatores, juxta doctrinam Sancti Patris, examinato, & casto eloquio annuntient vitia, & virtutes suis Auditoribus, omni curiositate, & fastu deposito, ut fructum potius animarum, peccatorumqve conversionem B. Raphael. Vallisolet.

quam populi applausum, & inanis gloriæ ostentationem qværere cognoscantur, potius quoqve bono exemplo, quam voce inani Christi fideles instruere satagant Nec prolixiori sermone sint suis Auditoribus tædiosi, sub pæna disci-
Polon.antiq. plinæ. Qui verò contra Libertatem Personarum Ecclesiasticarum, aut aliquem Regularium Ordinem, vel Personas publicas prædicare præsumpserit, aut quid scandalosum, vel fidei contrarium in Concione dixerit, factâ prius publicâ revocatione, Prædicationis munere, & actibus legitimis privetur.

Polon.antiq. III. Prædicatores utriusqve concionis, uti & Custodiales formales, a Matutino & Choro sint liberi, Meditationi tamen & Orationi vocali, Missis cantatis, diebus qvibus actu non prædicant, ac Vesperis, interesse tenentur. Prædicatores vero unius Concionis tempore æstivo quo primam missam legunt, a Matutino, tempore verò brumali bis, videlicet ante & post prædicationem, totiès, quoties prædicant sint liberi: aliis vero diebus quibus conciones non habent ad Chorum obligantur. Occurrente tamen Festorum pluralitate intra eandem Septimanam, ratio discretionis cum illis habeatur à Superioribus Localibus, qvoad Chori obligationem & frequentiam.

IV. Prædicatores noviter instituti gradatim a locis particularibus incipiendo, ad Majores Conventus & Ambonas formales promoveantur per A. R. Patrem Ministrum: Nec ullus Prædicatorum Generalium titulo aut privilegiis condecorari poterit, nisi novem annis (qvi per alia Officia suppleri nequeunt) formalis Prædicator extiterit, & ad minus per quinquennium in locis publicis ac Celebrioribus

bus ubi ſolet eſſe major Auditorum frequentia Conciones ſuas laudabiliter exercuerit: Superiores verò Locales omnia neceſſaria Prædicatoribus Paterne & Charitative providere tenentur.

V. Prædicatores Ordinarii, uti & Lectores Philoſophiæ, noviter inſtituti Locum, & præcedentiam inter Discretos ſecundum vocationem teneant; Triennio tamen ſuo munere laudabiliter functi, eosdem præcedant, cæteris paribus-ter ſe vero pro antiqvitate habitûs ordinem ſervent. Formale Prædicatores devotionem Confraternitatum, in Noſtris Eccleſiis erectarum promoveant, ac earum Conſultationibus, & Electionibus cum Superiore Loci intereſſe tenentur. A conqvirendis verò, & adminiſtrandis ſolitis eleemoſynis abſtineant, ſed ejusmodi munus ipſis Confratribus Sæcularibus relinquant, ſub pæna Proprietarii. Quod ſi Confratres ob penuriam temporum, vel ſuam ignaviam neceſſaria Eccleſiæ pro Solemnitatibus, ac devotionibus Confraternitatum ſuppeditare neglexerint; Superiores, manutenendæ devotionis intuitu, illa ſubminiſtrent, proût per communes eleemoſynas Conventûs, licuerit. Ibidem. Ibidem, 1719.

CAPVT X.

De Viſitatione, Admonitione, & Correctione Fratrum.

I.

PAtrem A. R. Miniſtrum in Visceribus Chriſti monemus, precamur, & obſecramus, ut Viſitationes, & Correcti- Polon. antiq.

rectiones Fratrum, juxta Regulæ Sanctæ, & horum Statutorum præscriptum singulis annis habendas, magno instaurandæ, & conservandæ Regularis vitæ studio, & non perfunctoriè solum peragere contendat, pro sui muneris debito, & Officii satisfactione. Ejusmodi verò Visitationibus omnes Patres, ac Fratres interesse tenentur, sub pœna arbitraria, nisi aliquem causa rationabilis ab A. R. Patre Visitatore probata excusaverit. Visitato Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Ecclesiam, Sacristiam, Infirmariam, Fo-
Ibidè. 1640. rasteriam, aliasqve Officinas Conventus, & Cellas Fratrum
& Valliſolet. Idem A. R. Pater Visitator lustrare, & seriò animadvertere obligatur, an sint debitâ, & necessariâ suppellectili provisæ, quoad munditiem, apparatûs reparationem, lectisterniorum commoditatem, & ejusmodi. Superiores Locales in his delinqventes, severe puniantur. Superflua qvæcunqve, si invenerit, tollat, pro aliis veris necessitatibus Conventûs per Syndicum Apostolicum convertenda. Hoc in passu, siqvis eidem contradixerit Superior Loci, privatione Officii ex nunc puniatur; Inferiores verò bimestri carceri mancipentur.

II. Privilegia, & exemptiones ab Officiis Chori, & Domûs, petentibus non concedat, nisi ex matura deliberatione, ac habito à communitate veræ necessitatis testimonio, sub nullitate Privilegii. Non licentiet, Fratres acquirere,
B. Raphael. 1572. vel donare aliqvid absqve scitu, & assensu Superioris Localis. Nec sit facilis ad mutationes Fratrum ex loco ad solius instantiam Superioris, prouti nec ejus susurriis, ac informationibus extra Visitationem factis, utramqve aurem porrigat, inauditâ alterâ parte, ne hac occasione modus Justitiæ administrandæ violetur, & pax Religiosa perturbetur.

Muta-

Mutationem verò ſine rationabili cauſa extorquentes, ultimum locum in Conventu, â quo petierint, vel ad quem mittuntur, habeant in ſuo ordine, ad compescendam aliorum importunitatem. Si verò alicui diuturna in loco commoratio ſit cauſa, vel occaſio proprietatis, inquietudinis, extraneorum negotiorum implicantiæ, ſcandali, vel detrimenti ſpiritualis, quantocyus ab illo transferatur, & in locis devotis, ac Spiritualibus collocetur. Præcept. Regul.

III. Ad viſitandos Fratres in particulari descendendo, A. R. Pater Viſitator eosdem perſonaliter, â minori incipiendo, ſuo ordine vocari faciat, & de Regulæ, ac Statutorum debita obſervantia, (juxtà præſcriptam ſuperius Capite VIII. Num. IV. formam, Viſitatori Generali traditam) ſub merito ſalutaris Obedientiæ examinet, dictaqve, & narrata â ſingulis, in libro Viſitationis ſibi â Vicario Loci porrecto adnotet, cum ſubſcriptione propriæ manus cujuslibet Fratris viſitati. Caveat tamen, ne ullo modo in Viſitationibus de omninò occultis ſe intromittat, aut de peccato alicujus nominatim inquirat, niſi de eodem quis fuerit anteà infamatus, aut denunciatus, vel legitimè accuſatus â Perſona fide digna, ſub privatione Officii contrafacienti. Accuſationes verò contra Prælatos, aut graduatos, & inſignes Patres, uti ſunt Patres Provinciæ, Diffinitores, Lectores, & Prædicatores Generales, de facili non ſunt audiendæ, niſi â Perſonis omni exceptione dignis, de quorum zelo, & vita laudabili ſuſpicari non poſſit, deponantur. Vallifolet. 1593. Salm. c. 1.

IV. Nemo quemquam de crimine, quod per teſtes idoneos probare non poteſt, accuſare audeat; qvi contrà fecerit, pœnâ talionis puniatur. Accuſatorem verò dici- Ibidem.

 nius,

mus, qui per teſtes idoneos ad probationem coram Prælato ſe obligat. Prohibetur ſub gravi peccato Viſitatori, ne eorum Fratrum, qui viſitantur, ſeu paterne corriguntur, nomina cuiqvam, ullo tempore, qvovis modo revelet, aut Accuſantium, ſive Teſtium Nomina Accuſatis manifeſtari faciat, quamvis ad punitionem procedat Accuſati; niſi per hoc Juſtitia, & fama alterius periclitaretur. Nam in tali caſu, ſi Accuſatus ſe innocentem judicans, petat Accuſantium, vel Teſtium Nomina, potiſſimùm, ubi de gravi infamatione, vel pœna agitur, ei manifeſtari debent. Sponte confitens delictum ſuum, anteqvam ab alio juridice incuſetur, mitiùs, & charitative puniatur; prout & ille, qui per duos, vel tres Teſtes de crimine occulto convictus fuerit, non publice, ſed ſecretò coram iisdem Teſtibus puniri debet, niſi crimen de atrocioribus fuerit, quia tunc publicè corrigi poterit.

Salmant. c. 10 Valliſolet. 1593.

V. Declaratur, qvod A. R. Pater Miniſter, ſive Viſitator habeat circa correctionem morum, (juxta tamen Generalia, & Provincialia Statuta,) poteſtatem puniendi, ordinandi, exequendi, & moderandi circa ſuos Subditos, prout utilitati, & bono communi expedire judicaverit. A quo nulla Appellatio, inhibitio, vel qverela executionem Viſitationis impedire, vel ſuſpendere poterit. In viſitatione dijudicata in ſcriptis, cum appoſitione Sigilli, Locorum Superioribus relinqvat, in Communitate ſæpiùs inculcanda, & obſervanda, ut in ſequenti Viſitatione, an correctio ſortita ſit ſuum effectum, innotescat; Superiores Locorum præfata non exequentes, Officio priventur.

Trident. Seſſ. 22. & 23. c. 1. Roman. 1615 Poloh. 1640.

VI. Et quoniam Statuta Generalia, ut controverſæ Viſitationes ſecundum Juris ordinem, & ſine Juſtitiæ

stitiæ Offendiculo fiant, præcipiunt, in omnibus Judiciis observari praxim criminalem, Anno 1639. editam, & à Capitulo Generali Romano approbatam pro toto Ordine, sub nullitate actuum, & Judiciorum, illam non observantibus. Ideò pro meliori informatione quædam Essentialia Juris adnectuntur, cum alias Jure Divino, & Naturali, ad ea Prælati obligantur: Ne contra inauditam partem, vel contra non legitimè convictum, vel confessum, gravem sententiam ferant, aliàs ipso facto nulla esset, & Judex contrarium faciens, actibus legitimis privaretur. Roman. 1639 c. 10. fol. 147. Salmant. c. 10

MODVS VISITATIONIS, sive CORRECTIONIS JVDICIALIS, & FORMANDI PROCESSVS.

Delicta.

CAusæ, pro qvibus non paterna, sed judicialis correctio fieri potest, & debet, cum declaratione Pœnarum, sunt omnia delicta de se gravia, & mortalia; uti, Notabilis à Choro absentatio: Non recitatio Divini Officii: Missæ, Confessionis, & Communionis, notabilis, vel scandalosa omissio: Verborum obscœnorum coram aliis prolatio: Infamatio gravis: Falsi in Judicio Regulari depositio: Percussio levis Prælati, vel gravior alterius Fratris, contumax Inobedientia: Proprietas in re notabili: Apostasia gravis: suspecta Consortia: Lapsus carnis: Literarum Superioris falsificatio, vel interceptio malitiosa: Furtum notabile, vel iteratum: Ebrietas: Rebellio Superioribus: Noviciorum ad habitum, vel professionem, non servatis conditionibus, admissio: Praxis Criminalis 1639.

missio: Vel Munerum ab eis acceptatio: Subditis infirmis, & Forensibus non exhibita Charitas: Vel necessariorum denegata Provisio: Denariorum contrectatio, ac receptio illicita: Sigilli Confessionis fractio: Præceptorum Regulæ transgressio: Mulierum intra Claustra, & ad malum finem introductio: Simonia, & Subornatio in Electionibus: In Clausuram Monialium sine licentia ingressus: Et ejusmodi à Superiore dignoscenda, quæ Jure Naturali, Divinâ, & Ecclesiasticâ lege, prohibentur.

Accusatio seu Accusator.

I.

Accusatio, est Criminis, apud Judicem, vindicationis causa ob bonum publicum delatio. Accusans judicialiter non est admittendus nisi prius coram Judice juret cum propriæ manus subscriptione, se malo zelo, vel malitiâ ad accusandum non moveri, sed zelo Regularis disciplinæ, & ad probandum se obliget per testes competentes, sub pœna talionis. Vnde, qui aliter accusat non est proprie Accusator, sed simplex Informator, & Denunciator, nec pœnâ talionis puniendus, potissimum, si sit Persona notabilis, ac extra judicialiter aliquid manifestat. Idem dicendum de Accusatore semiplenè, per unum gravem Testem, & omni exceptione majorem, Probante, nisi Accusatus plenè suam innocentiam probaret; Quia tunc minori aliquâ, & arbitrariâ pœna Accusans puniendus esset. Accusans scienter aliquem de falso, Calumniatoris pœnam incurrit, ac infamiæ. Qui alium accusat, & ejus Accusatio recepta fuit, à prosequenda Accusatione sine Superioris consensu rece-

Sanctorius titulo. Accusatio

recedere non potest, nisi propriam injuriam prosequatur, & velit cedere suo Juri.

II. Accusare seu agere judicialiter non possunt Infames, Excommunicati, (nisi absolvantur,) Calumniatores, Conspiratores, Inimici, (nisi suam prosequantur injuriam,) Accusati de eodem crimine, Laici Sæculares, ac Mulieres, (nisi suam mitem prosequantur injuriam) Socii criminis, nisi in criminibus exceptis, uti est Hæresis, Simonia, Subornatio, Furtum famosum &c. &c.

III. Prælati Regulares in gravibus, quæ sine infamia delinquentis non valent castigari, absqve Accusatore legitimo nihil attentare possunt, nisi delictum sit ita evidens, & notorium, quod nullâ valeat tergiuersatione celari, utpotè si fiat coram majori parte Conventus, vel coram ipso Superiore committatur; tunc enim potest Reus in continenti examinari, & condemnari infratres dies. Nec ullâ præcedente Accusatione, vel Infamatione, licitè suos Subditos punire in publico queunt de crimine occulto. (quod non est notum saltim mediæ parti Communitatis,) quamvis duo vel tres Testes hac de re testificentur. Et antequam Processum Iuridicum inchoaverint, diligenter Accusatoris, & Accusati Personas perpendere debent, an sit justa, vel injusta Accusatio. Facile enim est, quemquam infamari, revocare verò famam, difficillimum. Actore vero, & Accusatore non probante, Reus, sive Accusatus absqve ulla justificatione absolutus, & liber censeatur. Ibidem.

Testes.

I.

TEstes, ut juridice probent, debent Juramentum præstare de dicenda veritate; Sacerdotes quidem tacto pectore; Sanctorius tit. Testis.

ctore: Laici, & Clerici Crucem tangendo; Alias non Jurati, fidem non faciunt. Item. Debent citari, vel vocari à Superiore: Quia ultroneus, seu intrusus admitti non debet. Testis falsus est, qui juratus veritatem negat, vel occultat, aut essentialia tacet, aut dubium pro certo affirmat; Et hic est omnino rejiciendus, ac puniendus. Testis varius est, qui in eodem Judicio circa factum principale contraria deponit, & variationis causam non adfert; Et iste est pariter reiiciendus, ac puniendus de perjurio. Testis dubius, dicens: Forsan, mihi videtur, non bene recordor; nihil probat, & est repellendus. Idem de Vacillante Teste judicium. Nec probant Testes singulares, diversa deponentes, ut v. g. unus de uno loco, vel tempore: Secundus vero de alio tempore, vel loco. Testi, qui causam Scientiæ sui dicti interrogatus non reddit, nullo modo fides est adhibenda.

II. A Testimonio ferendo contra Reum, sive Accusatum, excluduntur omnes illi, qui accusare non possunt, ut sunt Hæretici, Apostatæ, in fide suspecti, publice Criminosi, falsi Testes, Conspiratores, Calumniatores, Infames, Inimici etiam reconciliati, Inimicorum Consanguinei usqve ad quartum gradum, ac eorum familiares: Suspecti de veritate, Excommunicati, nisi prius absolvantur. Quod sub Secreti naturalis Sigillo aliquis noverit, neqve denunciare, neqve testificari in Iudicio potest. Protervum verò Testem, qui non vult veritatem fateri, potest Judex per Censuras, & carcerem cogere, ut ad interrogata juridice respondeat.

III. Testis omni exceptione major, ille dicitur, cui nihil potest opponi: & talis facit semiplenam probationem

Duo

Duo Testes singulares, id est, diversa deponentes, etsi sint idonei, plenam probationem non faciunt. Duo vero Testes, idem testificantes, sufficiunt ad plenam probationem, & in pœnam condemnant. Probatio evidentissima est, quæ ex instrumentis, literis, cæterisqve ejusmodi eruitur, vel per propriam Rei confessionem, vel per evidentiam, & notorietatem facti habetur.

IV. Examen Testium ex integro nihil addendo, vel minuendo ex dictis eorum describatur: à Notario, (qvamvis non esset contra Substantiam, si Prælatus ipse, qui interroget, & Interrogatoria, & Responsoria Testium scripserit suâ manu,) in principio Examinis Testium scribendum est Nomen, Cognomen, Ætas & Anni Religionis cujuslibet Testantis. Depositiones verò Testium, eis primò lectæ, si concordent, subscribantur à singulis, vel Signo Crucis, si scribere nesciunt, notentur, additis subscriptionibus Judicis, & Notarii, qui in principio Processus Locum, Diem, & Annum, quo facta fuit Inquisitio, specificabit.

Reus, sive Accusatus, vel Diffamatus.

I.

REus non dicitur, nisi contra quem indicia, probationesque laborant. Itaqve captis Informationibus, à Judice citari, vel vocari debet Reus, sive Accusatus ad respondendum. Alias nulla redderetur Sententia, nisi (ut suprà dictum est,) delictum sit de se notorium, vel coram ipso Judice, sive Superiore factum. Quod si Reus sit de fuga suspectus, aut interrogatus negaverit, potest pro in- Ibidem Praxis Criminalis.

terim occludi, ne fugiat. Et renuens respondere sine rationabili causa, habendus est pro Confesso, & pro tali condemnandus. Quod si vocatus, post trinam monitionem in Judicio non comparuerit, declarandus est Contumax & ad pœnam ordinariam condemnandus. Confessus dicitur Reus, qui proprio ore dicit, se tale delictum commisisse: & hic mitiùs est puniendus, nisi suam velit revocare confessionem.

III. Reus benigne est interrogandus, ac humaniter tractandus, cui licebit petere copiam Processus, ut videat, quo pacto, & quo modo ad respondendum obligatur, quæ illi non denegetur; Nomina tamen Accusatoris, & Testium, non specificando. Testes adducti ad defensam Rei, pariter sufferri debent, & completè audiri, ac observari diligenter, si falsum, vel probabilia dicant. Circa quos Regulas de Testibus superius traditas observari oportet excludendo ineptos, vel admittendo habiles. Et si majora, fuerint pro Reo, sive Accusato defensionis documenta, nempè, qvia plures idonei Testes, vel graviores Personæ pro illius defensione testantur, illis est major fides in favorem Rei præstanda, & est absolvendus.

III. Reo dandæ, & concedendæ sunt defensiones, & terminus pro eisdem intra triduum assignandus, ac petentibus repetitionem Testium, annui debet, dummodo delictum non fuerint confessi contra Reum. Potest Reus, sive Accusatus non admittere Testes ex parte Accusantis, sed debet probare inhabilitatem illorum. In repetitione verò omnia taliter sunt servanda, qualiter facta fuerunt in primo examine, ac si examinati non fuissent. Quando verò nulla Reo competit defensio, utpotè, quia crimen est notorium, de quo totus, vel major pars Conventus evidenter scit vel ipse

Reus

Reus repertus fuit inflagranti delicto, in hoc casu non sunt ei concedendæ defensiones.

IV. Exceptiones pro parte Rei, sive Accusati, aut in ejus favorem desumi possunt ab ætate, quia Juvenis: Vel lenitate, & fragilitate, iræ subitaneæ efferbescentia; à Testibus falsè, variè, vacillanter, vel nimis fervide, ac animosè deponentibus: ab Indiciis, & præsumptionibus in oppositum: à Confessione invalida criminis proprii ex metu, vel iracundia: à Confessione spontanea: à dignitate Personæ: à non servato Juris ordine, & aliis similibus, quæ pro Rei defensione adduci poterunt, cum religiosa modestia.

Judex, & Sententia.

I.

JVdex, qui Judicium, id est, Rei absolutionem, vel condemnationem ministrat, triplex est, Ordinarius, Delegatus, & Arbitrarius. Ordinarius Judex in Provincia, est Minister, Vicarius, & Commissarius Provincialis, uti & Visitator Generalis. Delegatus verò, qui ad aliquam, vel aliquas Causas ab Ordinario delegatur. Et hic debet esse Vir gravis, maturus, ac debitâ Scientiâ præditus. Arbitrarius tandem, qui à partium assensu eligitur, cum licentia Judicis Ordinarii. Semel autem electus impediri non potest, quominùs Causæ sibi comissæ finem imponat, nisi fortè sit corruptus, aut Partes illum retractaverint, ex gravi Injustitiæ faciendæ suspicione. Praxis Sanctorii, tit. Judex.

II. Recusari possunt Judices, qui Juris ordinem non servaverint; qui parti nimium faverint; qui inimicitias cum Accusante, vel Accusato anteà habuerint; qui modum Salmant. c. 14.

Commissionis excesserint; qui Reum extrà judicialiter gravaverint; qui votum suum ad favorem partis manifestaverint; quorum Socius, vel Notarius esset Accusator, vel Testis. Reus tamen ex levitate recusans, reatum culpæ mortalis incurrit, & non est de facili audiendus, nisi objecta velit probare, sub pœna Calumniæ.

III. Fabricato Processu offensivo, & devensivo, si defensivus ex parte Rei, seu Accusati, evacuavit Processum offensivum ex parte Accusantis, debet Judex assignare terminum Accusatori in eodem Processu ad se defendendum pro non incurrendis pœnis Calumniatorum; Qvod si non probaverit, easdem luat. Si vero probaverit, vel plene, vel semiplene per Testes, vel Confessionem Rei, sive per indicia, & præsumptiones; Reus juxta mensuram delicti, & modum probationis, ad pœnam ordinetur. Si verò judex certò & evidenter sciverit, Reum, etsi Testibus convictum, esse innocentem, ad illum liberandum omnes modos inveniat, vel ad Judicem Superiorem Causam remittat, monito prius Superiore Judice de conspiratione Testium.

IV. Sententia, quæcunqve illa sit, omninò ex Processu dependeat, qvæ si fuerit conformis Processui, & factis inquisitionibus, uti justa censeatur; sin secus, pro injusta habeatur, & Judex pœnæ male judicantium obnoxius erit. Nullum sententiare poterit Judex, sive Ordinarius, sive Delegatus, nisi prius probe cognitis Causæ meritis, indiciisqve discussis, & accedente voto Diffinitorii, (si in Diffinitorio Causa proponatur, vel eidem reservetur,) vel peritorum, & graviorum Patrum, sive Assessorum habito consilio, si Causa ex Compromisso Diffinitorii vel delegatione, urgenti

de

de Causa absolvi debet in loco delicti, quæ tamen debet à Diffinitorio approbari, eidemqve manifestari.

V. Debet autem Sententia in scripto ferri, exprimendo delictum per extensum, manu Judicis, & Assessorum firmata, & à Notario legi publicè, & publicari, qui de publicatione in Processu testimonium ferat. Quod si Reus pœnæ in Statutis præfixæ capax non fuerit, uti privationis, & Suspensionis, potest Judex aliam illi similem, & æquivallentem imponere; Ita tamen, ut rigor Justitiæ clementiâ moderetur, valetqve Judex moderari etiam pœnas Canonicas ex legitima Causa, non pœnam, sed potiùs Salutem Subditi primariò intendendo. Sententia lata à Commissario, & Visitatore Generali cum plenitudine potestatis, contra Leges & Statuta Religionis continet evidenter nullitatem, cum sit notorie injusta, potesqve eidem Provincialis, imò Guardianus resistere; cum Sententia nulla non mereatur de Jure executionem. In Causis gravibus tenentur Judices Regulares petere consilium Seniorum, seu Patrum Provinciæ, ad judicandum, minimè verò in Causis levioribus, & ordinariis.

Appellatio.

I.

Appellatio, est Causæ à minori ad majorem Judicem provocatio, estqve naturale præsidium innocentiæ, ut relevet à gravamine oppressum, non ut defendat à malitia Reum. Nec potest esse iniquitatis præsidium. Vnde frivola Appellatio, etiamsi interponatur, admitti non debet. Hæc autem multis modis inter Regulares contingere potest.

Primo Cum appellatur â disciplina regulari, & mortificationibus, pœnisqve salutaribus non nimis gravibus, sine forma Judicii, in Visitatione, & Correctione injunctis, vel â præceptis Superioris. Secundo Cum appellatur â crimine notoriè commisso, quod nullâ tergiversatione potest excusari, aut celari. Tertio Cum appellat Reus convictus per duos Contestes, vel spontè confessus. Qvarto Si Judici interroganti respondere, vel citatus, aut vocatus comparere noluit, quia tunc habetur pro contumaci, ac confesso. Qvinto Si post trinam Appellationem, etiam ad diversos habitam, quartam addere vellet, quæ non est amplus admittenda. Sexto Si appellat ab interlobutoria, nisi in casu damni irreparabilis.

II. Appellatio legitima est â Sententia diffinitiva ex prævio juridicio Processu deducta, alias injuste, vel ultra mensuram aggravante, aut alia de Causa non tenete; Qvæ debet fieri intra decem dies â cognitione Sententiæ definitivæ: alias post hos elapsos dies nulla erit, debetqve gradatim fieri à minori ad majorem immediatè sequentem Judicem, suo ordine subordinato, v. g. â Guardiano ad Provincialem, â Delegatoa d Delegantem &c. sub pæna privationis Suffragiorum, & bimetris carceris. Examen vero legitimæ, vel frivolæ Appellationis spectat ad A. R. Patrem Ministrum Provincialem, ac Patres Diffinitorii, qui frivole Appellantes pœnâ duplicatâ tamen punire debent, uti pacis turbatores.

III Stante legitimâ Appellatione, Judex, â quo appellatur, sub pœna nullitatis actuum, & privationi Officii, non potest ultrà in Causa agitata procedere, cum per Appellationem omnia Acta tam Inquisitionis factæ, & faciendæ, quam

qvam ipſius Sententiæ ſuſpendantur ad ulteriorem Superioris deciſionem, ſeu Cauſæ novam reaſſumptionem, (ſolâ Excommunicatione exceptâ, qvæ quomodolibet declarata ligat Reum,) Nec poteſt Judex inferior, à quo appellatur, legitimam Appellationem non acceptare, potiſſimum, ſi adferatur Cauſa humiliter inſinuata; Quinimo debet totum Proceſſum â ſe factum, Appellanti petenti, obſigillatum tamen, dare intra triginta dies, ut illum deferat Judici ad quem; Niſi Appellans ſi de fuga ſuſpectus. Quia in tali Caſu eſt in Cuſtodia detinendus, & Proceſſus aliâ viâ transmitti debet ad Superiorem.

Forma Abſolutionis Generalis Fratrum, tempore Viſitationis.

PRimò dicuntur Pſalmi: Deus miſeratur noſtri &c. & De profundis &c.

Deindè dicitur ſecretò. Pater noſter. &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos â malo.

℣. Oremus pro Benefactoribus noſtris.

℟. Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Reqviem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris, ſimul & mortuorum, omniumqve miſereris, quos tuos fide, & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosqve vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum Jam exutos corpore ſuſceptit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiâ, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Poſteà omnes Fratres genuflexi dicunt. Confiteor. &c.

Qvo finito Prælatus ſtando abſolvit in ſequenti forma.

Miſeratur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

DOminus noſter, JEſus Chriſtus, per ſuam piiſſimam miſericordiam vos abſolvat: & Ego authoritate ipſius, & authoritate Beatorum, Peri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, inprimis vos abſolvo omnibus cenſuris, ſit tenemini aliquo vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, ſuſpenſionis, & interdicti, in qvantum ſe extendunt gratiæ, & privilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa, & vobis conceſſa. Item, reſtituo vos Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & unitati fidelium. Item, eadem authoritate diſpenſo vobiscum ſuper irregularitatibus ad Officia exequenda, & aliis pœnis Eccleſiaſticis, ſi qvas contraxiſtis, in quantum poſſum, & valeo. Aboleo etiam à vobis omnem maculam

culam infamiæ, undecunqve contractæ, & habilito vos, & restituo executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum; necnon ad omnes actus legitimos, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, ad Religionis nostræ beneficia, prout nostra se extendit authoritas. Demum eâdem authoritate absolvo vos ab omni transgressione Regulæ, Constitutionum, ordinationum, & admonitionum majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris, de illis vobis concedendo indulgentiam plenariam, juxtà formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ consvetam. Et hoc in nomine Partis, ✝ & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Post hæc dicat expresse.

A Religione sacra, timore Dei postposito, FF. NN. apostataverunt, hos excommunico, & excommunicatos denuncio, eosqve pro talibus habeatis, qvousqve de legitima eorum absolutione constiterit.

Vobis autem in sacra Religiones perseverantibus, & Altissimo Domino famulantibus, do Authoritate Apostolicâ Benedictonem.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Benedicite. ℟. Deus.

Dominus vos benedicat, & ab omni malo defendat, & in omni bono feliciter conservet, Deus Pater ✝ & Filius ✝, & Spiritus ✝ sanctus. Amen.

Posteà impertitur facultas absolvendi Fratres: Instituendiqve sunt Confessarii â Casibus reservatis, ac Missæ & Coronæ distribuendæ.

CAPVT XI.

De vitandis suspectis Consortiis, & de Monialibus.

I.

Polon. antiq. FRatres non solum à malo, sed etiam ab omni specie malicavere debent; Proindè illa, quæ de suspectis Consortiis Cap. VII. dicta sunt, omnino executioni demandentur. Mulieres intra ambitum Clausti, nisi publicæ Processionis, S. Pius. V. vel magnæ devotionis concursûs tempore non admittantur, sub pœna Excommunicationis Papæ reservatæ, ac privatio- Greg., XV. nis Officii illas introducentibus. Quam pœnam incurrunt, qui easdem ad purgandos hortos intra septa Monasterii intrare permittunt.

S. Congreg. 1623. II. Ad Monasteria, portam Monialium, nemini Fratrum quôvis prætextu accedere liceat, nisi impetratâ prius â Superiore licentiâ, vel publici muneris, sibi â Superiore commissi, obeundi gratiâ. Contrarium facientes, pœnâ disciplinæ, & actibus legitimis priventur. Qvibus verò privatio non competit, in domo disciplinæ per septimanam arceantur, ac per mensem caparonem deferant. Eidem pœ- Roma, 1600. næ subjaceant, qui ad crates Ecclesiæ ad colloquendum accesserint, vel privatas, amicitias, ac confabulationes frequentes cum Monialibus Nostræ, vel alterius Religionis practicare auserint, vel literas scripserint, vel scriptas â Monialibus receperint, absqve licentia expressa Superioris. Supradictis vitiis laborantes, si admoniti, & correcti non se emendaverint, de loco confusibiliter pellantur. Moniales verò similia

similia facientes, & tempus in confabulationibus otiose consumentes, gravius ab A. R. Patre Ministro puniantur, etiam veli privatione. Polon. antiq. Item. 1640.

III. Superior licentiam ad portam Monialium de facili Fratribus non concedat, nisi in necessitate, & de consensu saltim duorum Discretorum, sub pœna arbitraria ab A. R. Patre Visitatore infligenda. Nec etiam ipse ad Monasteria accedat, nisi pro expediendis muneribus, de Jure sibi competentibus, aut sia Præfecta cum Discretis pro communi bono vocetur. Ingredi intra septa Monasteriorum nemini liceat, sine licentia â Superiore Loci obtenta, sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ. Qui vero ob necessariam Causam, potissimum Viri, ad laboritia, vel fabricam quandoqve admittendi sunt, Superioris judicio, & authoritate anteà probentur, & ab eo Præfecta generalem, vel specialem scriptam facultatem habeat; Extra necessitatem licentians Superior, vel Moniales admittentes pœnas Apostolicas incurrunt. Vallisolet. Trident. Sess. 25. c. 7. Gregor. XIII

IV. Omnes, & singulæ Sorores, habitâ licentiâ ad parlatorium accedendi, petant benedictionem à Matre, sive Præfecta Monasterii, quibus strictissime prohibetur, ne Secreta Monasterii, defectus, jurgia, aut pœnas Personis extraneis quibuscunqve dicto, vel scripto revelent sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, A. R. Patri Ministro reservata. In foro exteriori convictæ, velo per mensem priventur, & ad portam, etiam ad Consanguineos per annum non admittantur. Polon. antiq. Vallisolet.

V. Puellas ad habitum Religionis aspirantes ad probam secundam, seu ut vocant, ad Chorum, Præfecta Monaste-

Trident. Sess. 25. c. 7

nasterii non admittat, sine expressa licentia A. R. Patris Ministri, &, siue exploratione ejusdem liberæ voluntatis, qvæ â Loci Ordinario, vel ejus Delegato fieri debet, antequam habitu induatur. Nec etiam tempus, & diem Receptionis ad Habitum ejusdem Noviciæ determinet, nisi præmonito prius ad coram, vel per literas, eodem A. R. Patre Ministro, & ab eo habitâ super hoc declaratione. Contrarium faciens in Visitatione puniatur.

Polon. 1726.

VI. Nulla Monialis audeat petere licentias, sive authentica Privilegia â suo Prælato pro Cella, vel Stubella, sive mobilibus alterius Sororis Viventis, ut post ejus fata eidem cedere possint, sub pœna proprietatis; Et datæ licentiæ, seu Indulta ejumodi â Successore omnino annihilentur, & cassentur. Stubellæ verò, Cellæ, ac mobilia post defunctas Sorores ad arbitrium Matris, seu Præfectæ Monasterii cum consilio Discretarum, aliis Sororibus juxta merita, & vocationem distribuantur.

Vallisolet. 1593.

VII. Præcipitur seriò Præfectis Monasteriorum, ne dotes Sororum Professarum pro suo libitu levare, distrahere, consumere, & extinguere præsumant, sed omninò in bonis mundis etiam Parentum, ac Consanguineorum locentur ad fructum faciendum. Quod si urgens necessitas, vel reparatio Conventûs aliud suaserit, consulatur hac de re A. R. Pater Minister, qvi pro sua prudentia id ordinabit, quod ei magis in Domino expedire videbitur.

Trident. Sess. 25. c. 2.

VIII. In unoquoqve Monasterio certus Monialium numerus juxtà Sacri Cocilii Decreta, & Declarationes Sacræ Congregationis præscribatur, ultra quem numerum nulla alia supernumeraria recipiatur. Nulla etiam Novicia ad habi-

habitum, & potissimum ad Professionem admittatur, nisi dotem à Superiore statutam dederit; Aliter faciens Præfecta, aut Prælatus, ultrà grave peccatum, privationem Officii incurrunt, ac voce activâ, & passivâ privantur. Quod si in aliquo Monasterio duæ germanæ Sorores Professæ extiterint, tertia Soror etiam in deficientia numeri præfixi ad idem Monasterium recipi non poterit, nisi duplicatam dotem adferat. Et insuper quamdiu duæ Sorores germanæ vivunt, tertia voce activa & passivâ privata manet, quousqve altera ex duabus Sororibus è vita excesserit. Sac. Congreg. 1616.

IX. Electiones Abbatissæ, seu Præfectæ, ad Crates Parlatorii, vel Ecclesiæ fiant à Prælato, cum assistentia duorum Patrum graviorum per vota secreta, in quibus Electionibus votum non habent Sorores, quæ duos annos à Professione emissa non excesserint; In aliis verò muniis omnes Professæ præter Conversas, & tertiam Sororem suffragari possunt. Vnâ Sororum Germanarum in Præfectam electâ, aliæ si adfuerint, neqve Vicariæ, neqve Discretæ, neqve Ianitrices esse possunt. Præfecta, exacto triennio, in Vicariam, nisi post completum aliud triennium, institui non potest. Vallisolet Ibidem.

X. Tabulam Monialium Professarum cujuscunqve Monasterii manu Secretarii scriptam, ad finem Tabulæ Provinciæ, & Conventuum Nostrorum congestam, A. R. Pater semper habeat. Insuper numerum Noviciarum, Professarum, ac mortuarum Sororum sub tempus sui Officii in Actis Provinciæ post Professos, vel demortuos Fratres ingrossari faciat. Cætera, quæ in Statutis particularibus Monialium vulgari linguâ Anno Domini 1675. editis, & à Diffinitorio Provinciæ

approbatis mandantur, ad amussim observentur. Ad quorum præscriptum, A. R. Pater Minister Provincialis Visitationes Monialium instituere, defectus corrigere, abusus extirpare obligatur, ex munere Pastoralis Officii.

CAPVT XII.

De euntibus inter Infideles.

Polon. antiq. NVllus Fratrum, sive Prædicationis, sive devotionis, Voti, aut alicujus occasionis causâ, extra Regnum eundi licentiam habeat, nisi de expresso consensu, ac deliberatione totius Diffinitorii. Fratres verò minus mortificati, & in rebus Fidei suspicione etiam minimâ laborantes, in Conventibus Confiniorum Regni, & Civitatibus ac Locis, ubi Hæreses prædominantur, non collocentur, ne eis proximioris ruinæ detur occasio.

APPENDIX.

DEclaratur, quod pœnæ per supradicta Statuta taxatæ ex Generalibus Ordinis Nostri Constitutionibus, nimirum Privationis, Suspensionis, Excommunicationis, Inhabilitatis, Carceris &c non obligent Fratres in conscientia, nisi scienter ac deliberatè ex malitia deliquerint; Et ubi ipso facto incurrendæ imponuntur. Decernimus in ejusmodi pœnas neminem incidere, nisi post declarationem à Prælato, vel Judice factam, ante quam uti pure comminatoriæ censeantur.

Decla-

Declaratur insuper, pro quietandis Fratrum conscientiis, Prævaricatores harum, uti & aliarum Constitutionum, ad peccatum mortale non obligari, nisi tales Casus & Excessus essent, qui Divinâ, vel Ecclesiasticâ lege, aut aliquo Regulæ Præcepto, sub mortali prohibentur. Ità declararunt Sixtus IV. cap. Circumspecta. Anno 1480. Martinus V. ac antiqua Statuta Generalia. Volumus nihilominus, ut Transgressores ad præscriptum horum Statutorum puniantur, ne exindè major delinquendi occasio cuiquam tribuatur.

Sixtus IV. cap. Circumspecta. (& Martin. V.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

PRæsentia Statuta, Nostræ Observantis Provinciæ, Sanctæ Mariæ Angelorum Majoris Poloniæ, a Nobis revisa & correcta. Vigore præsentis Decreti, & Officii nostri auctoritate confirmamus, roboramus. Eaqve ab omnibus præfatæ Provinciæ Fratribus observari debere decernimus. Datum Romæ ex Aracæli die septima Octobris Anno Millesimo Septingentesimo Vigesimo septimo.

FR. Matthæus a Pareta Minister Generalis.

(L. S.)

De mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis
Fr. Joannes Antonius Lucensis Secretarius Generalis Ordinis.

CIRCVMFERENTIA QVÆSTÆ QVOAD SINGVLOS CONVENTVS.

Conventus Cuſtodialis Posnanienſis.

VErſus Caſimiriam ad Oppidum Wrzesnia incluſive, verſus Cosminium ad Nowe Miaſto incluſive, Verſus Cobilinium ad Srem incluſive, Verſus Coſtnam ad Oppidum Moſina, Będlewo, Stęszew & Tumice incluſivè. Verſus Grodicium ad Otusz, Buk, Szarbie, Wilkowo incluſive. Verſus Sieracoviam, ad Wilczyna, Sękowo, Krzyszkowice, Otorowo, Lipnice, Rutki, Szamotuly, Oborniki, & omnes Villas ex parte ſua Fluvii Vartha incluſivè. Verſus Golancza, ad Gnesnam, Dabrowka Mlyniewo, Rogozno incluſive.

Conventus Coſtenſis.

VErſus Posnaniam ad Moſina, Srem, Będlewo, Stęszew, Tumice excluſive, Verſus Grodicium ad Pagum Iaskolki, Modrze incluſive. Verſus Vschovam, ad Boguszyn, Murownica incluſive, Ziemin excluſive. Verſus Cobilinium, ad Goſtyn, Rokoszew Zytowiecko excluſive.

Conventus Vſchovenſis,

VErſus Grodicium ad Ziemin, Przement, Obra incluſive, Babimoſt excluſive. Verſus Coſtnam ad Murownica, Boguszyn excluſive. Verſus Cobilinium ad Rokoszew Zytowiecko, Poniec, Goscieiowice, Boianow incluſivè.

Conventus Cobilinenſis.

VErſus Cosminium ad Bienica & Starogrod incluſive, krotoszyn, Mokronos, Borek excluſive, Verſus Poſnaniam ad Srem excluſive, Verſus Coſtnam ad Goſtyn incluſive. Verſus Vschovam ad Zytowiecko, & Poniec, Boianow excluſive, Verſus Oſtrzeſzoviam ad Odolanow incluſive.

Conventus Caliſſienſis.

VErſus Cosminium & Cobilinium ad Przygodzice & Raszkowo, Pleszow incluſive, ad karmin & Sosnica excluſive. Verſus Caſimiriam ad Rychwald incluſive. Verſus Rotopolim ad Turek excluſive. Verſus Lanciciam ad Dobra excluſive ad Iwanowice & Staw incluſive. Verſus Oſtrzeſzoviam ad Grabow excluſive Olobok incluſive.

Conventus Rotopolienſis.

VErſus Lancicium ad Borzyſtawice, klodawa & Dabie, incluſive. Verſus Vartham ad Dobra excluſive. Verſus Caſimiriam ad Sleſin excluſive, Goplo, & circa fluvium ex parte ſua incluſive. Item ad konin incluſive. Verſus Caliſſium ad Turek & Grzemiſzew incluſive.

Conventus Varthenſis.

VErſus Caliſium ad ſtaw excluſive, Verſus Rotopolim ad Dobra incluſive, Verſus Zloczeviam ad parvam Charlupia incluſivè, magnam excluſive. Verſus Vidaviam ad Sieradz incluſive.

Conventus Bidgoſtienſis.

VErſus Lobzenica ad Orle excluſive, Verſus Nowe & Swiecie ad Niewieſcin & karolow excluſive. Verſus

Pos-

Posnaniam ad Mogilno, & Ianowice inclusive, Pruchnow & Chodziesz exclusive. Versus Casimiriam ad Gębice inclusive. Versus Golanczam ad Samokleski inclusive.

Conventus Casimirienſis.

VErsus Posnaniam ad Wrzesnia exclusive. Versus Rotopolim ad fluvium Vartha & Goplo ex parte Sua, Versus Vartham ad Rychwald exclusive.

Conventus Novenſis.

VErsus Swiecie ad Rulewo inclusive, Versus Pomeraniam ad Tuchola inclusive. Versus Skępe ad Radzin & Lasin inclusive ex alia parte Viſtulæ.

Conventus Sieracovienſis.

VErsus Grodicium Lvovecium inclusive. Versus Posnaniam ad Ostrorog inclusive, Wilczyna, Sękowo, Krzeszkowice, Otorowo, Lipnice, Rutki, Oborniki, Bozęcowo exclusive. Versus Lobzynium & Gorcam ad Vscie exclusive.

Conventus Svecenſis.

VErsus Bidgostiam ad Niewiescin inclusive. Versus Nowe ad Rulewo, exclusive. Versus Posnaniam ad Gluchow & Fredlant post Choynice inclusive. Versus Lobzynium ad kamien exclusive.

Conventus Cosminenſis.

VErsus Cobilinium ad Mokronos Krotoszyn, Borek, inclusive, Bennica Starogrod exclusive. Versus Calissium

ad Karmin & Sosnica inclusive. Versus Posnaniam ad Xiaz, Mchy, Srem, Nowe Miasto exclusive Versus Casimiriam ad Zerkow inclusive. Versus Ostrzeszoviam ad Villam Wuykowo inclusive.

Conventus Gorcensis.

VErsus Bidgostam ad Orle inclusive. Versus Swiecie & Nowe ad Kamien inclusive. Versus Sieracoviam ad Vscie inclusive. Versus Posnaniam ad Naklo inclusive.

Conventus Ostrzeszoviensis.

VErsus Calissium, ad Grabow inclusive, Olobok, Przygodzice exclusive. Versus Cobilinium ad Odolanow exclusive, totum verò hunc Capitaneatum inclusive.

Conventus Grodicensis.

VErsus Costnam ad Iaskolki exclusive. Versus Vschovam ad Babimost, Wolsztyn, Zbaszyn, & in quantum paludes protenduntur inclusive, Zimin, Obram Premetum exclusive. Versus Sieracoviam ad Lwowek exclusive. Versus Posnaniam ad Tomice & Buk exclusive.

Conventus Golanecensis.

VErsus Posnaniam & Casimiriam ad Wiatrowo inclusive, Dabrowka, Rogozno, Dzwonowo, Gniezno exclusive. Versus Grodicium & Sieracoviam, circa fluvium ex parte sua Oborniki exclusive. Versus Bidgostiam ad Samokleski exclusive. Versus Gorcam ad Naklo exclusive.

Con-

Conventus Cuſtodialis Varſavienſis.

VErſus Lovicium ad kaſzki incluſive. Item ad Narem fluvium & ad littora Pilca nuncupatum ex parte ſua. Terra Zakrocimenſis incluſive, Palatinatus Plocenſis excluſive.

Conventus Thorunenſis.

VErſus Lubaviam ad Brodnica incluſive. Verſus Skępe ad Lazyn excluſive. Verſus Caſimiriam ad Strzelno incluſive. Verſus Bidgoſtiam ad Catrynka incluſive. Verſus Swiecie ad Viſtulam incluſive.

Conventus Lovicienſis.

VErſus Lancicium ad Piatek & kutno excluſive. Verſus Varſaviam ad Szymanow incluſive. Verſus Petricoviam Ravam incluſive.

Conventus Skępeſis.

VErſus Lubaviam ad kucborg excluſive usque ad fluvium skiwa, incluſive. Verſus Ratoviam ad Roſciszew, Rzeszotary, Grabiec incluſive. Verſus Rotoplim & Caſimiriam ad Bachorza fluvium ex parte ſua. Verſus Thorunium Lomzyn excluſive.

Conventus Lubavienſis.

VErſus Nowe ad Laſin excluſive. Verſus skępe ad kucborg incluſive & ad fluvium skiwa ex parte ſua. Verſus Prasniſium ad Villam Romaka incluſive. Verſus Vathemburgum ad Pruſſiam Ducalem. Verſus Thorunium ad Brodnica excluſive.

Conventus Prasnenſis.

VErſus Varſaviam ad Plutusk & Dobra incluſive. Verſus Ratoviam ad Modla & Plock, Bielsk excluſive. Verſus Lubaviam ad Romaka Villam excluſive, Verſus Vathemburgum ad Ianowo incluſive. Verſus Oſtrolęcam ad Rozana & Sokolowo incluſive.

Conventus Vathemburgenſis.

IN Alſteynenſi, Gudſtadienſi, Seburgenſi, Vathemburgenſi Cameratibus, ac Diſtrictu Bisburgenſi per gyrum usqve ad fines Pruſſiæ Ducalis.

Conventus Zlaczevienſis.

VErſus Vartham ad magnam Charlupia incluſive. Verſus Vidaviam ad Buzęnin incluſive & omnes alias Villas ex parte ſua circa fluvium Vartha exiſtentes. Verſus Oſtrzeſzoviam ad Boleslawiec incluſive & ex parte fluvii Proſna dicti.

Conventus Petricovienſis.

VErſus Lovicium & Varſaviam ad Ravam excluſive. Verſus Vidaviam ad Sromotka incluſive, Szulmierzyce Chorzenice, Chociſzew, Buczko excluſive.

Conventus Lancicienſis.

VErſus Rotopolim ad Vnieiow incluſive, Dabie, Klodawa excluſive. Verſus Lovicium ad Piatek & kutno incluſive. Verſus Vartham ad Szadek excluſive.

Con-

Conventus Vidavienſis.

VErſus Lancicium ad Lutomierſk incluſive. Verſus Petricoviam ad Chrzęſtowo incluſive. Verſus Zlaczeviam ad Buzęnin excluſive. Verſus Vartham ad Szadek incluſive, Sieradz excluſive.

Conventus Oſtrolęcenſis.

TErra Lomzynenſis, Visnenſis, Rozanenſis & ex parte Fluvii Narew verſus Prasniſium ad Sielec excluſive.

Conventus Sprimbornenſis.

Elzbergenſem, Melſacenſem, Reſſelienſem Cameratus, & Diſtrictum Bisburgenſem.

Conventus Cadinenſis.

FRauburgenſem, Brunsbergenſem, Wordytenſem Cameratus, & Tolkmitenſem Capitaneatum cum Elbingenſi Civitate.

Conventus Ratovienſis.

VErſus Skępe ad Rosciſzew, Rzeszotary, Grębiec excluſive. Verſus Vathemburgum Mlavam incluſive & ad fines Pruſſiæ Ducalis ex illa parte. Verſus Prasniſium ad Modla & Plock incluſive.

Conventus Cierniakovienſis.

TErra ſeu Diſtrictus Czerscenſis.

DEterminatur numerus Monialium curæ Nostræ Subjectarum, per singula Monasteria in hac Provincia: ultra quem aliæ Supernumerariæ ad Habitum Religionis recipi non possunt,

In Monasterio Posnanienſi -- 30.
In Monasterio Varſavienſi -- 20.
In Monasterio Caliſſienſi -- 24.
In Monasterio Lovicienſi -- 24.
In Monasterio Vielunenſi -- 30.
In Monasterio Prasnenſi -- 20.
In Monasterio Varthenſi -- 16.

MODVS VESTIENDI TERTIARIOS.

S. P. Francisci tam in Conventibus Nostris, quam in propriis domibus manentes.

HYMNVS.

VEni Creator Spiritus &c cantetur

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur
℟. Et renovabis faciem terræ.
℣. In Conceptione tua Virgo Immaculata fuisti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti

℣. Si-

℣. Signasti Domine Servum Tuum Franciscum.
℟. Signis Redemptionis Nostræ.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

DEus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii Tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita Nos quoqve mundos ejus intercessione ad Te pervenire concedas.

DEus qui Ecclesiam tuam Beati Francisci meritis fætu novæ prolis amplificas, tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cælestium donorum semper participatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio Habitus.

℣. Adjutorium Nostrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usqve in sæculum.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Plane sub missa voce dicantur Seqventia.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, seminator & inspirator Religiosi propositi, qiu que indumentum nostræ carnis pro salute generis humani misericorditer suscipere voluisti, & in præsepio vilibus pannis involvi non horruisti, respice propitius ad preces humilitatis Nostræ, ut has Religiosas Vestes, quas hic, (vel hæc) Famulus N. (vel famula N.) propter amorem tuum, abjecto habitu sæculari, induere proponit, benedicere ✝ tua pietate digneris. Et concede propitius, ut sicut exterius his Religiosis induitur vestimentis, intus renovetur affectibus, & per interceſſionem Beati Patris Nostri Francisci virtute ex alto induere eum, (vel eam) digneris. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus S. per omnia sæcula sæculorum Amen.

Oremus.

DEus qui ut servum redimeres, Filium tuum per manus impiorum ligari voluisti, benedic ✝ quæsumus, cingulum istum, & præsta ut famulus (vel famula,) qui, (vel quæ,) eo velut ligamine pœnitentiali sui corporis cingetur: Vinculorum ejusdem Domini Nostri JEsu Christi perpetuo memor existat, & in ordine, quem assumit, perenniter perseveret, tuisqve cum affectu semper obsequiis se alligatum esse cognoscat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hic induitur dicendo.

INduat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis. Amen.

℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum spiritutuo.

Ore-

Oremus.

MAjestatem tuam Domine suppliciter exoramus, ut famulum tuum (vel famulam tuam) cui de tua gratia præsumentes, Nostræ Religionis habitum imponimus, digneris inter discipulos tuos virtute ex alto induere, justitiæ lorica munire, & Salutis protegere vestimento, ut intercedente Beatissimo Patre Nostro Francisco Seraphico, Confessore tuo, sub humilitatis Veste perseveranter deserviens, ad Stolam immortalitatis, & gloriæ mereatur pervenire. Qui vivis & regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic cingitur à Prælato cingulo, dicendo:

Præcingat te Dominus vinculo pænitentiæ, & tribuat tibi alligaturam Salutis.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, qui Beato Petro Apostolo tuo significans, qua morte clarificaturus esset Deum, prædixisti, per alium in senectute ipsum fore cingendum; famulum tuum, (vel famulam) fratrem nostrum (quem vel quam) cingulo Nostræ fraternitatis præcinximus, tua quæsumus charitate præcinge, tui Nominis metu salutari constringe, & cor ejus, regulari alliga disciplina, ut tua ei opitulante gratia, solutus & liberatus à mundo, tuoqve victus servitio, in Ordinis, qvem assumit Observantia, usqve in finem jugiter perseveret. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

Oremus.

DEus qui mira crucis mysteria in Beato Francisco Confessore tuo, multiformiter demonstrasti, da huic famulo tuo, (vel famulæ) ejus piæ devotionis semper exempla sectari, & assidua ejusdem crucis meditatione muniri. Per Christum Dominum Nostrum. &c. Amen.

Quo induto, porrigat ipsi candelam accensam, dicens.

ACcipe Frater Chariſſime, (vel soror) lumen Christi, in signum immortalitatis, tuæ, ut mortuus mundo, Deo vivas. Exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. ℟. Amen.

℣. Confirma hoc Deus quod operatus es in Nobis.

℟. A templo sancto tuo quod est in Jerusalem.

Oremus.

Cantentur infra scriptæ Orationes cumversibus

DEus qui à sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis, & qui renunciantibus sæculo mansiones paras in cælis, dilata cor hujus famuli tui cælestibus donis; ut fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis, unanimis, constans, sobrius, simplex & quietus, Regularia sanctorum Patrum instituta custodiat & ad eum, quem te inspirante, perfectionis Spiritum concepit, te adjuvante perveniat. Per Christum Dominum Nostrum ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, Dux, salus, & fortitudo Nostra, humiliter petimus, ut famulum tuum, quem sanctæ compunctionis ardore, ab hujus sæculi vanitate separasti, etiam à conversatione terrena discernas, & gratiam, qua in te perseveret, infundas: ut protectionis tuæ præsidio munitus, quod te donante, affectat, te adjutore compleat,

ut

ut ſuæ converſionis executor effectus, ad ea, quæ perſeverantibus in te promittere dignatus es, feliciter pertingat. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde aſpergatur Indutus. Plane dicatur

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater, & Filius & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

MODVS PROFESSIONIS TERTIARIORVM.

Tam in Conventibus Noſtris, quam in propriis domibus manentium.

HYMNVS.

Veni Creator Spiritus. Cantetur hymnus cum Oratione.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

ACtiones noſtra quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra Oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Forma Profeſſionis.

EGo Frater, N. (vel Soror) voveo & promitto Deo Omnipotenti, & Beatæ Virgini Mariæ, ac Beato Francisco, ab hoc tempore, cum majori diligentia & conatu mandata Dei toto vitæ meæ tempore ſervare ſecundum modum à S. Patre Franciſco traditum & per Papam Nicolaum IV. confirmatum. Sic me Deus adjuvet. Amen. Plane & voce ſubmiſſa dicantur.

Polonico Jdiomate.

JA Brat N. (albo Sioſtra) ſlubię y obiecuię Bogu Wszechmogacemu, y blogoſlawioney Pannie Maryey, takze blogoſlawionemu Franciszkowi zachowac od tego czaſu pilniey z większym uſilowaniem y ſtaraniem przykazanie Boze przez cale zycie moie wedlug ſpoſobu zycia, ad S. Oyca Franciszka podanego, à przez Papieza Mikolaia IV. potwierdzonego. Tak mi Panie Boze dopomoz. Amen.

Prælatus dicat.

ET ego exparte Dei, ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam Amen.

Idem Polonice.

AIa tez Imięniem Pana Boga iezeli to zachowasz obiecuięc zywot wieczni. Amen.

Oremus.

Cantentur ſeqventes Orationes

DEus qui per coœternum Filium tuum cuncta creaſti, qui que mundum peccatis inveteratum, per myſterium incarnationis ejus, renovare dignatus es, te ſupplices exoramus, ut ſuper hunc famulum tuum (vel famulam) Fratrem Noſtrum N. (vel Sororem N. qui (vel qvæ) hodie in hoc Sancto templo tuo vanitatem mundi, & pompas Diaboli per Noſtræ ſervitutis Minſterium, voto ſolemni abrenunciare decrevit, ita reſpicere digneris, ut Spiritu mentis ſuæ renovatus, veterem hominem cum Actibus ſuis exuere, & novum qvi ſecundum Deum creatus eſt, induere mereatur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine JEſu Chriſte, qvi es via ſine qua nemo vadit ad Patrem, qvæſumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum

um (vel famulam) à carnalibus desideriis abstractum, per arctam ac tutam Regularis disciplinæ viam deducas, & qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, præsta, ut hæc vox vocationis tuæ, ita in eo convalescat, qvatenus onera peccatorum deponens, & quam dulcis es, degustans, tua refectione sustentari mereatur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SAncte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis abundantiam suppliciter exoramus, ut, sicut ubi vis spiras, sic & huic famulo tuo Fratri Nostro N. (vel Famulæ. N.) affectum piæ devotionis inspires, & qui tua sapientia est conditus, tua qvoqve providentia gubernetur, quem etiam unctio tua de omnibus doceat, & per interceſſionem Beatæ Virginis Mariæ, sanctorum qve Apostolorum Petri & Pauli, ac Beati Patris Nostri S. Francisci, & omnium Sanctorum, fac eum à Sæculi vanitate ita veraciter converti, ut qvod hodie te inspirante, inchoat, sic juste, pie, ac sancte per veram humilitatem & obedientiam fraterna charitate fundatus, te adjuvante perficiat, ut in sancto Religionis proposito jugiter perseverans, ad vitam perveniat sempiternam. Qvi cum Deo Patre, & Filio ejus, Domino Nostro JEsu Christo, vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus Vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.
Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedictio Dei, Patris ✝ & Filii ✝ & Spritus Sancti ✝ descendat super vos & maneat Vobiscum Amen. planè

Approbatio Provinciæ.

EAdem præinserta Statuta tam per Decretum Reverendissimi Patris Ministri Generalis ut supra, qvam per Decretum V. Diffinitorii Provincialis iterato confirmata, acà Patribus Vocalibus pro Capitulo Provinciali in Conventu Lubavienſi congregatis, die Decima Sexta, Mensis Junii, Anno Millesimo Septingentesimo Vigesimo Octavo unanimi voto & assensu recepta; Nostro ac totius Provinciæ nomine approbamus, & acceptamus, die, Mense, & Anno, ut supra.

Ita est.

Fr. Raphael Zgorzelski Minister Provincialis.
Fr. Pontianus Gawronski Ex-Minister Provincialis
Fr. Joannes Kamienski Ex-Minister Provincialis
Fr. Nicolaus Barankiewicz Ex-Minister Provincialis
Fr. Seraphinus Gamalski Ex-Minister Provincialis.
Fr. J. Capistranus Szyfiecki Ex-Minister Provincialis.
Fr. Petrus Schlegell Lector Jubilatus Provinciæ Pater.
Fr. Stephanus Kaminski Lector Jubilatus Provinciæ Pater.
Fr. Christophorus Rozrazevius Provinciæ Pater.
Fr. Franciscus Winderlich Diffinitor Actualis
Fr. Ladislaus Golbacki Diffinitor Actualis.
Fr. Antonius Pininski Diffinitor Actualis.
Fr. Hieronymus Jablonski Diffinitor Actualis.

(L. S.)

DECLARATIONES

Summorum Pontificum, NICOLAI III. & CLEMENTIS V. in Regulam S. P. N. FRANCISCI

Quarum tenores sunt sequentes.

NICOLAVS PAPA III.

EXiit, qvi seminat serminare, semen suum, de sinu Patris in mundum, veste scilicet humanitatis indutus, DEI Filius, JESVS Christus, Verbum Evangelicum saturvs in singulos probos, & reprobos, insipientes, & ignaros, studiosos, & desides, & jvxta Prophetam: Colonvs futurus in terra semen suum, doctrinam Evangelicam sine delectu disperſit in omnes, qvi omnia tracturvs ad se, omnes salvare venerat, qvi tandem seipsum Deo Patri pro salvte omnium, in redemptionis hvmanæ pretium immolavit. In 6. Decret. lib. 5. de Ver. Signif. c. Exiit. tit. 10.

I. Licet avtem hoc semen in singvlos commvnicativâ Dei charitate disperſum, alivd ceciderit secus viam, svper corda, scilicet dœmonvm svggestionibvs pervia: Alivd supra petram, corda scilicet nvllo fidei vomere penetrata: Alivd inter spinas, corda scilicet hominvm, divitiarvm solicitvdinibvs lacerata; & ideo vnum pravis affectibvs concvlcatvm; aliud aridvm, qvia gratiæ carebat hvmore; reliqvum verò legitur inordinatis solicitudinibvs suffocatum; Aliud tamen mite cor, & docile, terra bona suscepit, hoc est, Minorvm Fratrum mitis, & docilis in paupertate, ac humi-

litate, per Almum Christi Confessorem, Franciscvm, radicata Religio, qvi ex illo vero semine germinans, germen illvd per Regulam sparsit in filios, qvos sibi, & Deo, per suum ministerivm in observatione Evangelii generavit. Isti svnt filii, qvi, docente Jacobo, VERBVM Æternvm, Dei Filium, insitum humanæ naturæ in horto Virginalis vteri, potens salvare animas, in mansvetvdine svsceperunt. Hi sunt illius Sanctæ Regulæ Professores, qvæ Evangelico fundatur eloqvio, Vitæ Christi roboratur exemplo, Fvndatorum Militantis Ecclesiæ, Apostolorum ejus sermonibus, actibusqve firmatur. Hæc est apud Deum, & Patrem munda, & immacvlata Religio, quæ descendens à Patre luminvm, per ejvs Filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deindè per Spiritum Sanctum Beato Francisco, & eum seqventibus inspirata, totivs in se qvasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cvi (attestante Paulo Apostolo) nemo de cætero debet esse molestus, quam Christus Stigmatibus suæ Passionis confirmavit, volens Institutorem ipsius Passionis svæ signis notabiliter insigniri.

II. Sed nec sic contra Fratres ipsos Minores, & Regulam, hostis antiqvi cessavit astutia, quin potius contra eos nitens superseminare zizaniam, interdum æmulatores agitatos invidia, iracundiâ, & indiscretâ inscitiâ concitavit, mordentes Fratres, & eorum Regulam, qvasi illicitam, inobservabilem, & discriminosam, caninis latratibus lacerantes, non attendentes, hanc Sanctam Regulam (ut prædicitur) præceptis, ac monitis salutaribus institutam, Apostolicis observationibus roboratam, per plures Romanos Pontifices approbatam, & etiam per Sedem Apostolicam confirmatam, tot divinis testimoniis communitam, quæ credibilia,

lia facta sunt nimis in tot Sanctis Viris, in observantia hujus Regulæ agentibus, & finientibus dies suos, qvorum nonnullos Sanctorum Catalogo Sedes eadem ex eorum vita, & miraculis fecit adscribi, & noviſſime, quasi diebus illis per piæ memoriæ Gregorium Papam, Prædeceſſorem Noſtrum approbatam eſſe, ex evidenti utilitate, quam de ipsa conſequitur univerſalis Eccleſia, in Generali Concilio Lugdunenſi declaratur. Nec nos minus attendimus, imo profundius cogitamus, ſicut penſare debent cæteri Catholicæ Fidei Profeſſores: qvia Deus ipſe Ordinem prædictum, & ejus Obſervatores inſpiciens, ſic eos ab inſurgentibus in ipſos rancoribus ſalutari ſubſidio præſervavit, qvod nec ipſos fluctus tempestuoſus alliſit, nec animos in Ordine ipſo degentium conſtravit, qvin potius in vigore regulari concrescant, & amplientur in ſuorum obſervantia mandatorum.

III. Verumtamen, ut Ordo prædictus (quibuslibet præciſis anfractibus) diſtinctâ, ac purâ vigeat claritate, & ſicut Fratres ejusdem Ordinis nuper in Generali Capitulo aggregati providerant, dilectis Filiis, Generali, & nonnullis aliis Provincialibus ejusdem Ordinis Miniſtris, qvi in Capitulo ipſo convenerant, in Noſtra præſentia conſtitutis, cum ad plenam obſervationem Regulæ ejusdem in vigore Spiritûs eorum fervere noscatur intentio: Viſum eſt Nobis, (ut mordacibus hujusmodi mordendi vias præcluderemus,) aliqua, qvæ in ipſa Regula videri poterant dubia, declarare, nonnulla per Prædeceſſores Noſtros etiam declarata, pleniori claritate diſſerere, in aliquibus etiam Regulam ipſam contingentibus puritati eorundem conſcientiæ providere.

IV. Nos autem, qvi à teneris annis ad Ordinem ipſum affectus Noſtros ereximus, in illis ſuccedendo cum aliqvi-

bus ejusdem Confessoris Sociis, qvibus ejus vita, & conversatio nota erat, super ipsa Regula, & sancta ipsius Beati Francisci intentione, frequenti collatione tractavimus. Et tandem Cardinalis, ac postmodum ejusdem Ordinis, per prædictam Sedem Gubernator, Protector, & Corrector effecti, conditiones prædicti Ordinis ex imminenti Nobis cura palpavimus, in Apostolatûs Officio, tam de pia intentione Confessoris prædicti, qvam de his, qvæ Regulam ipsam, & Observantiam ejus contingunt, ex prædictis longâ etiam experientiâ informati, Nostros ad Ordinem præfatum convertimus cogitatus. Et tam ea, quæ per eosdem Prædecessores approbata, & declarata esse noscuntur, qvam etiam ipsam Regulam, & eam contingentia maturitate plenâ discussimus. Nonnulla in præsenti serie statuimus, declaravimus, certius approbavimus, approbata confirmavimus, edidimus, & concessimus, plura etiam ordinando serioſius, & clarius, qvæ infrascriptis articulis plenius exprimuntur.

V. In primis, qvia (sicut intelleximus) ab aliquibus hæsitatur, an Fratres ejusdem Ordinis, tam ad consilia, qvam ad præcepta Evangelii teneantur? Tum quia in Regulæ prædictæ principio habetur; Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri JESV Christi Sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Tum ex eo, quod in eadem Regula continetur sic: Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, & Regulam observare. Tum quia in fine ipsius Regulæ continentur hæc verba: Paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Evangelium Domini Nostri JESV Christi, qvod firmiter promisimus, observemus. Licet felicis recordationis Gregori-

gorius Papa IX. Prædeceſſor Noſter hunc articulum, & nonnullos alios ejusdem Regulæ declaraverit; quia tamen ejus declaratio propter aliqvorum inſurgentium in Fratres, & Regulam, inordinatos, & mordaces inſultus, & multorum poſteà emergentium caſuum conſiderandos eventus, in aliquibus obſcura, in aliqvibus ſemiplena, & in multis etiam contentis in ipſa Regula inſufficiens videtur. Nos obſcuritatem, ac inſufficientiam hujusmodi ex præfatæ interpretationis declaratione amovere volentes, & cujuslibet ambiguitatis ſcrupulum in eisdem, ad ſingulorum mentibus plenioris expoſitionis certitudine amputare; Dicimus, quod, cum in principio Regulæ, non abſolute, ſed cum quadam modificatione, ſeu ſpecificatione ponatur: Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini Noſtri JESV Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate; Quæ tria eadem Regula multum arcte proſequitur, & nihilominus alia nonnulla ſubnectit præcipiendo, prohibendo, conſulendo, monendo, hortando, & ſub aliis verbis, ad aliquem modorum reducibilibus prædictorum, de intentione Regulæ liquere valet apertius, ut illud, quod in profeſſione, qvaſi abſolute ſubnecti videtur, promittentes vitam iſtam ſemper, & Regulam obſervare; & qvod in fine ſubjungitur: Et ſanctum Evangelium Domini Noſtri JESV Chriſti, qvod firmiter promiſimus, obſervemus, totum, ad ipſius Regulæ modificatum, vel determinatum, ſeu ſpecificatum principium reducatur; videlicet ad obſervantiam Evangelii, ut prædicitur, per ipſam Regvlam in illis tribvs modificatam, vel determinatam, ſeu ſpecificatam; cum non ſit veriſimile, ipſum Sanctum, verbum ab ipſo ſemel cum qvadam modificatione, vel determinatione, ſeu ſpecificatione prolatum, li-

cet quasi succinctorie repetitum, voluisse in sui repetitione data sibi per eum modificatione, seu specificatione, sine certa causa carere; & utriusqve Juris argumenta nos doceant ea, qvæ in principio ad medium, & ad finem; illa vero, quæ in medio ad finem, atqve principium, & ea quæ in fine, ad utrumqve, vel Eorum alterum sæpe referri: Et dato, quod absolute diceretur omnino: Promito sanctum Evangelium observare, cum Professor hujusmodi non intenderet, se ad omnem consiliorum observantiam obligare, (quod vix aut nunquam posset ad literam observare, propter quod talis promissio illaqueare profitentis animum videretur,) clarè videtur promissionem hujusmodi ad alium intellectum absqve intentione promittentis non debere perstringi, nisi ut observantia Evangelii sit, sicut tradita reperitur à Christo, videlicet, quod præcepta, ut præcepta, & consilia, ut consilia à promittentibus observentur. Quem intellectum etiam in eisdem verbis habuisse idem Beatus Franciscus in serie sui processus in Regula patenter ostendit, cum aliqua Evangelica consilia indicat, ut consilia, sub verbis monitionis, exhortationis, & consilii, nonnula verò sub prohibitione, ac verbo præcepti, per quod patet, quod non fuit loquentis intentio, quod Fratres ex professione hujusmodi Regulæ ad omnia consilia, sicut ad præcepta Evangelica tenerentur, sed solum ad illa consilia, quæ in eadem Regula præceptorie, vel inhibitorie, seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa. Vnde Nos ad Fratrum ejusmodi Ordinis conscientias plenarie serenandas, declaramus, quod exprofessione ejusdem Regulæ Fratres ipsi ad ea tantum Evangelica observare consilia sunt adstricti, quæ in ipsa Regula præceptoriè, vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur. Ad nonnulla vero alia per Evangelium data consilia eò magis secundum exigentiam

tiam sui Statûs tenentur plusquam cæteri Christiani, quo per statum perfectionis, quem per professionem hujusmodi assumpserunt, se obtulerunt Domino holocaustum medullatum per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem, quæ in ipsa Regula continentur, tam præcepta, quam consilia, quam cætera exvoto professionis hujusmodi non aliter tenentur, quam eo modo qvo in Regula ipsa traduntur, ut scilicet teneantur ad eorum observantiam, quæ in eadem Regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur: Cæterorum verò observantiam, quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & instructoriis, seu quibuscumqve aliis continentur, eatenus magis condecet de bono, & æquo eos prosequi, quo imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas elegerunt.

VI. Porro cum ipsa Regula expresse contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, aliquam rem: Sitqvè declaratum per eundem Prædecessorem Nostrum Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc servari debere tam in speciali, quam, in communi, qvam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnavit astutia: ne Fratrum eorundem perfectionis claritas ex talium imperitis sermonibus laceretur; Dicimus, quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit, quamqve primi Fundatores militantis Ecclesiæ, provt ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere per doctrinæ, ac vitæ exempla in eis derivârunt.

VII. Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse; Nam sic JESVS Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & vi-

am perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, & sic in nonnullis aliis humanæ carnis infirma assumens (prout Evangelica testatur historia,) non tantum carne, sed & mente condescendit infirmis; Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus, sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quod à summæ perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namqve Christus, & docuit opera perfectionis. Egit etiam infirma; sicut interdum & in fuga patet, & in loculis, sed utrumqve perfectè perfectus existens, ut perfectis, & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosqve salvare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisqve.

VIII. Nec qvicquam ex his insurgat erroneum, quòd taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, vivendi discrimini se committant; Sic enim seipsos commitunt Divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant provisionis humanæ; quin vel de iis, quæ offeruntur liberaliter, vel de iis, quæ mendicantur, vel de iis, quæ conquiruntur per laboritium, sustententur, qui triplex vivendi modus in Regula providetur expresse. Profectò si (juxta promissum Salvatoris,) nunquam deficiet fides Ecclesiæ, per consequens nec opera misericordiæ subtrahentur, ex qvo Christi pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur esse sublata. Et quidem ubi, (quod non est aliquatenus præsumendum,) hæc cuncta deficerent, sicut nec cæteris, ità nec ipsis Fratribus Jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi Nostræ via omnibus extremâ necessitate detentis concessa præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta: nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renunciationem usus rerum cuiqvam videatur inducere, nam cum in rebus

bus temporalibus sit considerare præcipue proprietatem, possessionem, usufructum, jus vtendi, & simplicem facti vsum, & vltimo tanquam necessario egeat, licèt primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, qvæ â se vsum necessariæ sustentationis excludat. Verum condecens fuit ei professioni, quæ spontè devovit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam: nec per hoc, quod proprietatem vsus, & rei cujusqve dominium â se abdicare videtur, simplici vsui omnis rei renunciasse convincitvr, qui, inquam, vsus, non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in vtendo præbet utentibus, nihil juris: Quinimo necessariarum rerum, tam ad vitæ sustentationem, quam officiorum sui Statûs executionem, (excepto, qvod de pecunia infra subjungitur,) moderatus vsus, secundum eorum Regulam, & veritatem omnimodam, concessus est Fratribus, quibus rebus Fratres licitè uti possent, durante concedentis licentiâ, & juxtà id, qvod in præsenti serie continetur. Nec his obviare dignoscitur, quod civilis providentia in humanis rebus hvmanè constituit, videlicet, non posse vsum, vel vsumfrvctum â dominio perpetuò separari, qvod ne dominum Dominis, (semper abscedente usu) redderetur inutile, temporale tantvm in constituendo prospiciens ita decrevit. Retentio namqve dominii talium rerum cum concessione usus, facta pauperibus, non est infrvctuosa Domino, cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna, qvæ tanto sibi censetur utilior, qvantò commutat temporalia pro æternis. Profecto non fuit Confessoris Christi, Regulam instituentis talis intentio, quinimò contrarium in ipsa conscripsit, contrarium vivendo servavit, cum & ipse temporalibus ad necessitatem vsus fuerit, & in pluribus locis in Regula vsum talem licere Fratribus, manifestet. Dicit namqve in Regula, qvòd Clerici faciant Divinum Officum, ex quo habere poterunt Breviaria; ex hoc patenter insinuans, quod Fra-

tres sui habitvri essent vsum Breviarii, & librorum, qui sunt ad Divinum Officium opportuni. In alio quoqve Capitulo dicitur, quòd Ministri, & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos Spirituales solicitam curam gerant secundum loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut eorum necessitati viderint expedire. Alibi etiam exhortans Fratres per congruum laboris exercitium ad otium evitandum, dicit: Quod de mercede laboris pro se, & suis Fratribus corporis necessaria recipiant: In alio quoqve Capitulo continetur, qvod Fratres vadant pro eleemosyna confidenter: Habetur etiam in eadem Regula, qvòd in prædicatione, qvam Fratres faciunt, sint examinata, & casta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi, annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam; sed constans est, qvod hæc præsupponunt scientiam, scientia requirit studium, exercitium verò Studii convenienter haberi non potest, sine usu librorum. Ex quibus omnibus satis claret ex Regula, ad victum, vestitum, divinum cultum, & sapientiale stvdium, necessarium rerum vsum Fratribvs esse concessum. Patet itaqve sane intelligentibus ex prædictis, Regulam qvoad abdicationem hujusmodi non solum obsevabilem, possibilem, & licitam, sed meritoriam, & perfectam, & eò magis meritoriam, quo per ipsam Professores ipsius magis à temporalibus propter Deum, (sicut prædicitur,) elongantur.

IX. Ad hæc, cum Fratres ipsi nihil sibi in speciali acqvirere, vel eorvm Ordini possint, etiam in communi, & cum propter Deum aliqvid ipsis offertur, conceditur, vel donatur, ea (si secus non exprimat,) offerentis, concedentis, vel donantis verisimiliter credatur intentio, ut rem hujusmodi oblatam, concessam, vel donatam perfecte concedat, donet, auferat à se, abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum, nec sit persona, in quam loco Dei congruentius hujusmodi rei dominium transerat, quam Sedes præfata, vel Persona Romani

mai Pontificis, Christi Vicarii, qvi Pater est omnium, & Fratrum Minorum nihilominus specialius; Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cum Patri Filius suo modo, servus Domino, & Monachus Monasterio res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirant, omnium utensilium, & librorum, ac eorum mobilium præsentium, & futurorum, quæ, & qvorum vsum facti, scilicet Ordinibus, vel Fratribus ipsis licet habere, proprietatem, & dominium, (quod & felicis recordationis! Innocentius Papa IV. Prædecessor Noster fecisse dignoscitur,) in nos, & Romanam Ecclesiam plene, & libere pertinere, hac præsenti Constitutione in perpetuum valitura sancimus.

X. Præterea loca empta de eleemosynis diversis, & oblata, seu concessa Fratribus sub qvacunqve forma verborum (licet Fratres sibi cavere debeant, qvod hujusmodi verbis statui suo incompetentibus non vtantur,) â diversis, seu pro indiviso possidentibus, seu certas partes in ipsis locis habentibus, in qvibus ipsi possidentes pro indiviso, seu certas partes habentes, nihil sibi in oblatione, seu concessione hujusmodi reservârunt, similiter in Jus, & dominium, ac proprietatem Nostram, & Ecclesiæ prædictæ eâdem auctoritate suscipimus: Loca verò, seu domos pro habitatione Fratrum â singulari persona, vel collegio, vel ipsis Fratribus ex integro concedenda, seu etiam offerenda (si talia de voluntate conferentis Fratres inhabitare contigerit,) perseverante voluntate tantum concedentis inhabitent, ac illa libere, (præter Ecclesiam, & Oratoria ad Ecclesiam destinata, & cœmeterium, quæ tam ad præsentia, qvam ad futura in Jus, & proprietatem Nostram, & prædictæ Romanæ Ecclesiæ simili modo, & authoritate recipimus, mutatâ concendentis (voluntate) ipsis Fratribus patefactâ dimittant: In quorum locorum dominio, seu proprietate, nihil Nobis, vel præfatæ Romanæ Ecclesiæ detinemus omninò, nisi ea specialiter de Nostro, seu ipsius Romanæ Ecclesiæ recipiantur assensu. Et si in eisdem locis reservaverit dominium sibi in concedendo concedens præter inhabitationem Fratrum,

 specia-

ſpeciale dominium in Jus Eccleſiæ ſæpe dictæ non tranſeat, ſed potius plene liberum maneat concedenti.

XI. Inſuper nec utenſilia, nec alia præter eorum vſum ad neceſſitatem, & officiorum ſui Statûs executionem (non enim omnium rerum uſum habere debent, ut dictum eſt.) ad ullam ſuperfluitatem, divitias, ſeu copiam, quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, vel eo animo, ut ea diſtrahant, ſive vendant; recipiant, nec ſub colore providentiæ in futurvm, nec aliâ occaſione: Quinimò in omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, & in uſu neceſſitas. Hoc autem ſecundvm exigentiam perſonarum, & locorum, Miniſtri, & Cuſtodes ſimul, & ſeparatim in ſuis adminiſtrationibus, & Cuſtodiis, cum discretione diſponant: cum de talibus interdum perſonarvm qvalitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumſtantiæ plus, minusve, ac aliter provideri reqvirant: Iſta tamen ſic faciant, qvod ſemper in eis, & eorum actibus, paupertas ſancta reluceat, prout ipſis ex eorum Regula invenitur indicta.

XII. Cætervm, cum in eadem Regula ſit ſub præcepti diſtrictione prohibitvm, ne Fratres recipiant per ſe, vel per alios, denarios, vel pecuniam ullo modo: Idqve Fratres in perpetuum ſervare cvpiunt, & velut injunctum, neceſſe habeant adimplere, ne ipſorum puritas in hujvsmodi obſervatione præcepti maculetur in aliqvo, & ne Fratrum conscientiæ aliqvibus aculeis ſtimulentvr, articulum iſtum propter detrahentivm morſvs, profundivs, qvam Noſtri Prædeceſſores fecerint, aſſvmentes, ac ipſum clarioribus determinationibvs proſequentes, dicimvs in primis, qvod Fratres ipſi â mutuis contrahendis abſtinent, cvm eis mutuum contrahere, (ipſorum Statu conſiderato) non liceat; poſſint tamen ipſi pro ſatisfactione facienda pro eorvm neceſſitatibvs, qvæ pro tempore occurrerint, (ceſſantibus eleemoſynis, de qvibvs ſatisfieri commodè tunc non poteſt,) citra cvjvslibet obligationis vincvlum dicere, qvod per eleemosynas, & alios amicos

amicos Fratrvm, ad ſolutionem hujvsmodi faciendam intendant fideliter laborare: Qvo caſu, procuretvr â Fratribus, qvod ille, qvi dabit eleemoſynam per ſe, vel per alium non nominandum ab ipſis, ſi fieri poterit, ſed ab eo potiùs juxta ſuum beneplacitum aſſumendum, hujusmodi ſatisfactionem faciat in tòtum, vel in partem, prout ſibi Dominus inſpirabit: Si tamen ipſe hoc nollet facere, vel non poſſet, vel qvia receſſus ejus immineat, aut qvia, quibus hoc velit committere, notitiam non habet fidelium perſonarum, ſeu qvacumqve aliâ occaſione, vel cauſa; declaramus, & dicimus, qvòd in nullo Regulæ puritas infringitur, aut qvomodolibèt ipſius Obſervantia maculatur, ſi Fratres ipſi alicujus, vel aliqvorum ſibi curent dare notitiam, vel aliquos, ſeu aliquem nominare, aut etiam præſentare, cui, vel quibus, ſi eleemosynam facienti placuerit, committi poſſit executio prædictorum, ac ipſius habeatur aſſenſus ſuper ſubrogationibus infrascriptis; ita tamen, quod penes ipſum datem dominio, proprietate, ac poſſeſſione ipſius pecuniæ cum libera poteſtate revocandi ſibi pecuniam ipſam ſemper usqve ad converſionem ipſius in rem deputatam, plene, libere, ac integre remanentibus, in ipſa pecunia nihil omninò Fratres Juris habeant, nec adminiſtrationem, ſeu diſpenſationem, nec contra perſonam nominatam, vel non nominatam ab eis, cujuscunqve conditionis exiſtat, in judicio, vel extrà, actionem, proſecutionem, aut aliqvod aliud Jus intentent, qvalitercumqve perſona prædicta in commiſſione hujusmodi ſe habeat; Licet tamen Fratribus, ſuas neceſſitates inſinuare, ac ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare, qvòd ſolvat. Poſſint etiam perſonam eandem exhortari, ac inducere, qvod fideliter in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione provideat; Ità tamen, quod ab omni ejusdem pecuniæ adminiſtratione, ſeu diſpenſatione, & contra prædictam perſonam actione, ſeu proſecutione, (ut prædictum eſt,) Fratres abſtineant omnimodè. Si vero perſonam hujumodi nominatam, vel non nominatam â Fratribus (qvominus per ſe poſſit exeqvi, quod prædicitur,) contigerit per abſentiam, infirmitatem, voluntatem,

tatem, seu locorum distantiam, ad quæ ipsa nollet accedere, in qvibus esset solutio, seu satisfactio facienda, vel per occasionem aliam impediri, liceat Fratribus cum conscientiæ puritate, qvamdam aliam personam subrogandam ad præmissa in nominando, & aliis (si ad primum dantem non possint, vel nolint habere recursum,) cum ista persona facere, sicut suprà proximè declaravimus, eis licere cum prima: Duarum enim personarum ministerium, videtur posse in prædictorum executione sufficere, cum prædicta satisfactio præsumatur posse celeriter expediri: Si tamen interdum, ut dictum est, propter locorum distantiam, in qvibus esset satisfactio facienda, & ob conditiones, seù circumstantias alias, causus emergeret, in qvo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum, liceat ipsis Fratribus in hoc casu juxta negotii qvalitatem (servato modo prædicto) plures personas assumere, nominare, seu præsentare, ad istud ministerium exquendvm.

XIII. Et qvia oportet, & expedit Fratrum necessitatibus non solum ipsis, pro qvibus jam esset solutio, seu satisfactio facienda (ut superius proxime dictum est,) sed etiam imminentibus, sive tales necessitates ingruentes immineant, qvæ brevi tempore expediri veleant, sive tales (licèt paucæ comparative) qvarum provisio ex sui conditione necessariò tractum temporis habet, ut in libris scribendis, Ecclesiis, seu ædificiis ad vsum habitationis ipsorum construendis, libris, & pannis in locis remotis emendis, & aliis similibus, si quæ occurrerint, cum moderamine supradicto salubriter provideri. Sic in istis necessitatibus clarè distinguimus, sic in eis Fratres posse tutè, & salvâ conscientia procedere, declaramus, videlicet, ut ingruenti, vel imminenti necessitate, qvæ brevi tempore, vel qvæ interdum ex aliqvibus circumstantiis non sic brevi, (ut suprà in proximo casu dictum est) valeat expediri, tam quoad dantem eleemosynam, quam qvoad nominatum, vel substitutum, in omnibus, & per omnia (sicut

in

in articulo solutionis pro necessitatibus præteritis faciendæ suprà proximè declaravimus,) procedatur.

XIV. In ea verò necessitate qvantumcumqve præsentialiter ingruenti, quæ tamen ex qvalitate sui, (ut prædicitur,) tractum temporis habet annexum: qvia in eo casu verisimile est, qvòd tum ratione distantiæ locorum, qvæ expeditio necessitatis ipsius ex sui conditione reqvireret; tum etiam circumstantiarum ipsius necessitatis ratione pensata, freqventer casus acciderent, in qvibus ad expeditionem necsitatis hujusmodi oporteret, qvod per diversas manus, ac personas, transiret pecunia, necessitati hujusmodi deputata, qvarum omnium personarum impossibile quasi esset dominum, pecuniam pro ipsa necessitate deputantem principalem, seu etiam substitutum ab eo, & tertium etiam ab ipso Substituto (si casus talis accideret,) postea subrogatum, habere notitiam: declaramus, & dicimus, qvod in hoc articulo, præter dictos duos modos in necessitatibus præteritis, & ingruentibus, qvæ possint brevi tempore, vel interdum non brevi (ut suprà exprimitur,) expediri, (ut prædiximus,) observandos, ad observandam ipsius Regulæ, ac professorum ejus omnimodam puritatem: Qvod si præstò sit eleemosynæ hujusmodi elargitor, vel ejus nuntius, qvi possit hoc facere, & velit, expresse illi prædicatur à Fratribus, qvod sibi placeat, (ut dominio talis pecuniæ cum libera potestate revocandi sibi pecuniam ipsam, penes ipsum semper usqve ad conversionem ipsius in rem deputatam, libere remanente, ut in aliis duobus casibus superius dictum est,) per qvorumcumqve manus pecunia, seu eleemosyna ipsa tractetur, sive personas ab eo, vel à Fratribus nominatas, totum suo consensu, voluntate, ac auctoritate procedat, qvo assensum suum præbente prædictis, secure Fratres re emptâ, vel acqvisitâ de illa pecunia per quemcunqve juxta modum adnotatum superius, uti possint.

XV. Ad majorem autem prædictorum omnium claritatem, hac in perpetuum valitvra provisionis serie declaramus, qvod Fratres,

(præfatis modis, ut prædicitur, circa pecuniam in ſupportandis eorum præteritis, & ingruentibus neceſſitatibus obſervatis,) non intelligantur, nec dici poſſint per ſe, vel per interpoſitam perſonam, pecuniam recipere contra Regulam, vel Profeſſionis ſui Ordinis puritatem; cum manifeſtè pateat ex præmiſſis, ipſos Fratres, non ſolum â receptione, proprietate, dominio, ſive vſu ipſus pecuniæ, verum etiam â contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitus eſſe alienos. In eo vero caſu, qvando (anteqvam ipſa pecunia in licitum rei habendæ, vel utendæ commercium ſit converſa) concedentem pecuniam mori contigerit, ſi concedens in concedendo dixerit, vel expreſſerit, qvod perſona deputata pecuniam ipſam in neceſſarium vſum Fratrum expenderet, quicquid de ipſo concedente vivendo, vel moriendo contingeret, ſive concedens hujusmodi hæredem reliqverit, ſive non: poſſint Fratres ad perſonam deputatam (non obſtante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipſa pecunia expendenda recurrere, ſicut poterant ad ipſum Dominum concedentem.

XVI. Qvia vero puritatem ipſius Ordinis intimâ cordis affectione zelamus, cum in prædictis caſibus ad determinatam neceſſitatem (ut prædicitur) per aliqvem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari poſſit â Fratribus, qvod ſi qvid de pecunia ipſa (habitâ neceſſitate determinatâ) ſupererit, conſentiat ipſe concedens, qvod reſiduum præfatæ pecuniæ in res alias, pro aliis ipſorum Fratrum prædictis neceſſitatibus convertatur: qvo non conſentiente prædictis, ipſum reſiduum, (ſi qvod fuerit,) reſtituatur eidem; Caveant tamen Fratres, qvod ſolicite ſe coaptent, ut non plus ſcienter concedi conſentiant, qvam veriſimiliter æſtimari poſſit, rem neceſſariam, pro qva pecunia ipſa conceditur, valituram.

XVII. Et qvia in prædictorum ſerioſa expoſitione â dante, vel recipiente de facili poſſet errari, vel clarius utilitati dantium, ouri-

puritati Ordinis, simplicitati aliqvorum simplicium, saluti animarum hinc indè securius consulatur: intellectum illum, qui satis in hoc casu à sane intelligente percipitur, præsentis, ac in æternum valituræ Constitutionis serie lucidamus, volentes illum ad communem deduci notitiam, videlicet, quod semper, qvando pecunia Fratribus ipsis mittitur, vel offertur (nisi per mittentem, vel offerentem expresse aliud exprimatur) prædictis modis prosus oblata intelligatur, & missa: Non enim verisimile est, aliqvem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum præfigere, per quem & donans merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi provideri, vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritatate fraudentur.

XVIII. Ad hæc, qvia Fratribus ipsis interdum in ultimis voluntatibus sub diversis modis nonnulla legantur, nec expresse, quid de his agendum sit, in Regula, vel Prædecessorum Nostrorum Declarationibus continetur; ne in ipsis dubitari contingat in posterum providendo legantibus, & Fratrum conscientiis præcavendo, declaramus, ordinamus, & dicimus, qvod si Testator modum, secundum qvem Fratribus, (eorum conditione inspectâ) recipere non liceret, exprimat in legando, ut si legaret Fratribus vineam, vel agrum ad excolendum, domum ad locandum, vel similia verba in similibus proferret, aut modos similes in relinquendo servaret, â tali legato, vel ejus receptione per omnem modum Fratres abstineant.

Si verò modum licitum Fratribus in legando Testator expresserit, ut si diceret: Lego pecuniam pro Fratrum necessitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & similia, ad hoc, quod per certam personam, vel personas idoneas distrahantur, pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur; aut in legando similibus modis, vel verbis utatur: In hoc casu illud in omnibus, & per omnia, (consideratis eorum necessitatibus, & moderaminibus supradictis) quantum ad Fratres servari, decreni-

mus, qvod per Nos est superius in concessis pecuniariis eleemosynis declaratum. Ad qvæ Legata solvenda, tam Hæredes Testatorum, qvam Executores se liberales exhibeant; & etiam Prælati, & Sæculares qvibus de Jure, vel consvetudine provisio ista competeret, (cum expedierit,) se ex Officio suo promptos exhibeant, ad pias voluntates deficientium adimplendas; Nam & Nos etiam per modos licitos, Fratrum Regulæ congruos intendimus providere, qvod Hæredum cupiditas legitimis ictibus Feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxiliis non fraudentur. Si verò Fratribus ipsis generaliter aliqvid absqve modi expressione legetur; in hoc legato sic indeterminate relicto, in omnibus, & per omnia intelligi, ac servari volumus,& in Perpetuum præsenti Constitutione jubemus, qvod suprà in pecunia, seu eleemosyna Fratribus indeterminate oblata, vel missa, voluimus, ac expressimus observari, videlicet, ut sub modo licito Fratribus intelligatur esse relictum, ita qvod nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

XIX. Quia verò libros, & alia mobilia, qvibus tam Ordo, qvam Fratres utuntur, qvorum dominium, (cum non sint dominii aliorum) ad præfatam Ecclesiam specialiter spectare dignoscitur, interdum contingit, seu expedit vendi, vel etiam commutari; Fratrum utilitatibus, & eorum conscientiis providere volentes, eâdem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum vsum Fratribus licet habere, de Generalium, & Provincialium Ministrorum in suis administrationibus conjunctim, vel divisim, auctoritate procedatur, qvibus etiam de dispositione usus talium rerum concedimus ordinare. Si verò res hujusmodi æstimato pretio vendi contingat; cum Fratribus ipsis per se, vel per alium recipere pecuniam, (Regulâ prohibente,) non liceat, ordinamus, & volumus, qvod talis pecunia, seu pretium recipiatur, & expendatur in rem

rem licitam, cujus usum Fratatribus licet habere, per Procuratorem à præfata Sede, vel à Cardinali, gubernationem per ipsam Sedem gerente, ejusdem Ordinis deputandum juxta modum in superioribus necessitatibus præteritis, & ingruentibus ordinatum. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat ex præsenti Nostra concessione Fratribus, pietatis, seù devotionis intuitu, vel pro alia honesta, & rationabili causa, obtentâ super hoc prius Superiorum suorum licentiâ, juxta qvod inter Fratres in Generali, vel Provinciali Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus,& earum valore, qvam præfata licentia, scilicet, à qvibus & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intra,& extra Ordinem alii elargiri.

XX. Licet autem contineatur in Regula, qvod Fratres habeant unam Tunicam cum Caputio, & aliam sine caputio; & videri possit, illa fuisse Instituentis intentiò, qvod, necessitate cessante, pluribus non utantur; Declaramus, qvod possint Fratres de licentia Ministrorum, & Custodum, conjunctim, & divisim in administrationibus sibi commissis, cum eis videbitur, (pensatis necessitatibus, & aliis circumstantiis, qve secundum Deum, & Regulam attendendæ videntur,) uti pluribus: nec per hoc videantur à Regula deviare, cum etiam in ipsa dicatur expresse, qvod Ministri, & Custodes de infirmorum necessitatibus, & Fratribus induendis solicitam curam gerant, secundum loca,& tempora,& frigidas Regiones. Et qvamqvam prædicta Regula contineat, qvod de Fratribus induendis, & necessitatibus infirmorum Ministri tantum & Custodes solicitam curam gerant, & dictio illa tantum adeò Ministros, & Custodes in hac cura perstringere videatur, qvod ab ea cæteros primâ facie excludat; Quia tamen solicitè considerare Nos convenit,& tempus Regulæ institutæ, qvo Fratres isti, ad comparationem præsentium, numero pauci erant, & forsan Ministri, & Custodes videbantur tunc ad ista procuranda posse sufficere, ac nihilominus multiplicationes Fratrum,& moderni

ni temporis qvalitatem, nec sit verisimile, Beatum Franciscum, Institutorem Regulæ, vel ipsis Ministris, & Custodibus impossibilitatis jugum voluisse præfigere, vel ex ipsius impossibilitatis consequentia Fratres ipsos suis necessitatibus velle carere; Concedimus, qvod ipsi Ministri, & Custodes possint per alios hujusmodi curæ solicitudinem exercere. Debent etiam & alii Fratres curam hujusmodi, qvæ præfatis Ministris, & Custodibus præcipue incumbere videtur, ex hac Regula, cum sibi ab aliis commissa fuerit, gerere diligenter.

XXI. Continetur qvoqve in Regula, qvod Fratres, qvibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter, & devotè, ita qvod (excluso otio animæ inimico,) Sanctæ Orationis, & devotionis spiritum non extinguant. Quia vero ex verbo isto Fratres ipsos de otiositate vitæ, & de Regulæ transgressione improbe notare, interdum hactenùs aliqvi sunt conati: Nos morsus hujusmodi nefarios reprimentes, declaramus, qvod consideratis verbis prædictis, & forma, seù modo loqvendi, sub qvibus Fratres ad hujusmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuisse Instituentis intentio, qvod vacantes Studio, vel Divinis Officiis, & ministeriis exeqvendis, manuali labori, seu operationi subiiceret, vel ab hoc illos arctaret; Cum exemplo Christi, & multorum Sanctorum Patrum, labor iste spiritualis tantò illi præponderet, qvanto qvæ sunt animæ, corporalibus præferunt. Ad alios verò, qvi se in prædictis spiritualibus operibus non exercent, nisi tales aliorum Fratrum licitis servitiis occupentur (ne otiose vivant,) verba prædicta declaramus extendi: Nisi & tales tam excellentis, & notabilis contemplationis, & orationis existerent, quod meritò propter hoc non essent à tanto bono pro hujusmodi exercitio subtrahendi. Fratres enim qvicumqve studio, vel Divinis ministeriis non vacantes, sed aliorum Fratrum studio, vel aliis Divinis Officiis, & ministeriis vacantium servitiis inhærentes tantum, pro servitiis eisdem cum ipsis, quibus, serviunt,

unt, sustentari merentur; qvod astruitur illâ aquâ lege, qvâ strenuus pugnator ille David juste decrevit, videlicet, qvod descendentium ad prælium, & remanentium ad sarcinas portio æquaretur.

XXII. Verum qvia expresse continetur in Regula, quod Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ob eo illis fuerit contradictum. Nos in hoc, & deferentes Regulæ, & nihilominus auctoritatem Apostolicæ plenitudinis conservantes, dicimus, qvod prædictum verbum ad literam, sicut Regula ipsa protulit, observetur, nisi per Sedem Apostolicam circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur, seu etiam ordinetur.

XXIII. Et quia in eodem Capitulo Regulæ immediate subjungitur, qvod nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi â Ministro Generali fuerit examinatus, & etiam approbatus, ac ab eo prædicationis Officium sibi sit concessum. Nos & Statum præteritum ipsius Ordinis in paucitate sui, & modernum in ampliato Fratrum numero, ac utilitatem animarum (ut condecet, advertentes concedimus, nedum Generalem posse examinare, & approbare Fratres prædicaturos in populis, ac illis concedere licentiam prædicandi, qvatenus personæ idoneitatem, & prædicationis Officium licentia ipsa respiceret, prout in Regula continetur; verum etiam Provinciales Ministri hoc possint in Capitulis Provincialibus, cum Definitoribus: qvod etiam hodiè observari dicitur, & in Fratrum Privilegiis contineri, qvam quidem licentiam præfati Ministri revocare, & suspendere valent, & arctare, sicut, & qvando eis id videbitur expedire.

XXIV. Sed qvoniam in desideriis ||Nostris hoc geritur, ut ad Dei gloriam salus proficiat animarum, ac dicto Ordini, per qvem jugiter ad amorem Divinum affectio Christianæ Religionis accenditur,

meritum, & numerus augeatur; concedimus, & præsenti statuto firmamus, licere, non solum Generali, sed etiam Provincialibus Ministris personas fugientes à sæculo, in Fratres recipere; qvæ Ministrorum Provincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire viderit,) possit arctari. Vicarii vero Ministrorum Provincialium, ex Officio Vicariæ licentiam hanc sibi noverint interdictam, nisi per Ministros eosdem (qvibus hoc posse committere Vicariis, & aliis, licere decernimus,) hoc ipsis Vicariis specialitèr committatur. Caveant tamen ipsi Provinciales, qvod hoc non indiscrete, non passim, sed sic considerate committant, ut illos, qvibus hoc committi contigerit, fidelibus consiliis fulciant, ut omnia discrete procedant; nec omnes indifferenter admittantur ad Ordinem, sed illi tantum, qvi suffragantibus eis literaturâ, idoneitate, vel aliis circumstantiis possint utiles esse Ordini, sibiqve per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum.

XXV. Insuper dubitantibus Fratribus prædicti Ordinis, an pro eo, qvod in Regula dicitur, ut decedente Generali Ministro, à Provincialibus Ministris, & Custodibus in Capitulo Pentecostes fiat Electio Successoris; omnium Custodum multitudinem oporteat ad Generale Capitulum convenire, aut (ut omnia cum majori tranqvillitate tractentur,) sufficere possit, ut aliqvi de singulis Provinciis, qvi vocem habeant aliorum, intersit? Taliter respondemus, ut scilicet singularum Provinciarum Custodes unum ex se constituant, qvem cum suo Provinciali Ministro pro seipsis ad Capitulum dirigant, voces, aut vices suas committens eidem. Quod cum etiam constituerint per seipsos, statutum hujusmodi duximus approhandum, qvod idem Prædecessor Noster Gregorius IX. in casu hujusmodi dicitur respondisse.

XXVI. Deniqve qvia continentur in Regula supradicta, quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum, præter illos, qvibus

bus â Sede prædicta conceſſa fuerit licentia ſpecialis: Quanquàm hoc de Monaſteriis Pauperum Monialium incluſarum Fratres hactenùs intelligendum eſſe crediderint, cum eorum Sedes præfata curam habet ſpecialem: & intellectus hujusmodi per Conſtitutionem qvandam tempore Regulæ datæ, vîvente adhuc Beato Francisco, per Provinciales Miniſtros fuiſſe credatur, in Generali Capitulo declaratus; iidem Fratres certificari nihilominus poſtulaverunt, an hoc de omnibus generaliter, cum Regula nullum excipiat, an de illis ſolum Monaſteriis Monialium prædictarum debeat intelligi? Nos utiqve generaliter id eſſe prohibitum de qvarumlibet cœnobiis Monialium reſpondemus: Et nomine Monaſterii volumus, Clauſtrum, domos, & Officinas interiores intelligi, pro eo, qvod ad alia loca, ubi homines ſæculares conveniunt, poſſunt Fratres illi causâ prædicationis, vel eleemoſynæ petendæ accedere, qvibus id â Superioribus ſuis pro ſua fuerit maturitate, & idoneitate conceſſum, exceptis ſemper prædictarum Monaſterii inclusarum, ad quæ nulli datur accedendi facultas, ſine Sedis ejusdem licentia ſpeciali, qvod etiam ipſum idem Prædeceſſor Noſter Gregorius IX in eo caſu dicitur reſpondiſſe.

XXVII. Cæterum ſanctæ memoriæ Confeſſor Chriſti Franciscus mandaſſe dicitur circa ultimum vitæ ſuæ, (cujus mandatum dicitur ipſius Teſtamentum) qvod verba ipſius Regulæ non gloſſentur, & (ut verbis utamur ejusdem) qvod ſic, vel ſic intelligi debeat, non dicatur; adjiciens, qvod Fratres nullo modo literas aliqvas ab Apoſtolica Sede petant; & alia qvædam interſerens, quæ non poſſent ſine multa difficultate ſervari; Propter qvop Fratres hæſitantes, an tenerentur ad obſervantiam Teſtamenti prædicti, dubitationem hujusmodi per eundem Prædeceſſorem Noſtrum Gregorium IX petierunt de ipſorum conſcientiis amoveri; qvi (ſicut aſſeritur, attendens periculum animarum, & difficultates, qvas propter hoc poſſent incurrere, dubietatem de ipſorum conſcientiis amovendo, dixit, Fratres ipſos ad ipſius mandati obſervantiam non teneri, qvod ſine conſenſu Fratrum,

& maxime Miniſtrorum, qvos univerſos tangebat, obligare nequiverit, nec Succeſſorem ſuum qvomodolibet obligavit; cum non habeat imperium par in parem: Nos autem circa præſentem articulum nihil duximus innovandum.

XXVIII. Ad hæc â nonnullis Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus circa declarationem ipſius Regulæ, & ipſam Regulam contingentia, diverſas literas intelleximus emanaſſe; ſed nec per hoc mordacium prædictorum contra Regulam ipſam, & Fratres qvievit inſultus; nec per ipſas literas Statui Fratrum providetur in multis, in qvibus de novo, vel aliter neceſſario providendum eſſe, multorumpoſtea caſuum contingentium experientia indicavit. Nos itaqve, ne literarum hujusmodi, & præſentis Conſtitutionis diverſitas, vel intellectus adverſitas in prædictorum obſervatione Fratrum animos perturbet, & ut plenius, clarius, & certius eorum Satui, & obſervantiæ prædictæ Regulæ conſulatur, in omnibus, & ſingulis illis articulis, qvos Conſtitutio ipſa continet, qvamqvam ipſi, vel eorum aliqvi contineantur in aliis literis Apoſtolicis ſupra dictis, hanc Noſtram Conſtitutionem, Declarationem, ſeu ordinationem tantum â Fratribus ipſis præciſe, ac inviolabiliter decernimus, perpetuis temporibus obſervandam.

XXIX. Cum igitur ex prædictis, & aliis, per Nos cum multa maturitate discuſſis, Regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſervabilis, nec ulli patens discrimini evidenter appareat; illa & omnia ſupraſcripta per Nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata, etiam & ſuppleta de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, approbamus, confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis: in virtute Obedientiæ diſtricte præcipientes, qvod hæc Conſtitutio, ſicut cæteræ Conſtitutiones, vel decretales Epiſtolæ legantur in Scholis. Et qvia ſub colore liciti, nonnulli contra Fratres ipſos, & Regulam, in legento, exponendo, atqve gloſſando poſſent dirum virus ſuæ iniqvitatis effundere, ac ipſius Conſtitutionis intellectum ipſum in diver-

versas, & adversas sententias producentes suis adinventionibus depravare, & opinionum diversitas, ac distortio intelletûs multorum pios animos posset involvere, & â Religionis ingressu multorum corda subtrahere. Talium detrahentium vitanda perversitas cogit Nos viam ipsis ad prædicta præculdere, & certum procendendi modum, hanc Constitutionem legentibus præfinire.

Itaqve sub pœna Excommunicationis, & privationis Officii, ac beneficii districte præcipimus, ut præsens Constitutio, cum ipsam legi contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad literam concordantiæ, contrarietates, sive diversæ, vel adversæ opiniones â Lectoribus, seu Expositoribus nullatenùs inducantur: Super ipsa Constitutione glosse non fiant, nisi forsan per quas verbum, vel verbi sensus, seu constructio, vel ipsa constructio qvasi grammaticaliter ad literam, vel intelligibilius exponatur, nec intellectus ipsius per legentem depravetur in aliqvo, seu distorqveatur ad aliud, qvam litera ipsa sonat. Et ne secundum prædicta contra detractores hujusmodi oporteat ulterius laborare, universis, ac singulis cujuscumqve præeminentiæ, conditionis, aut statûs, districte præcipimus, ne contra prædictam Regulam, & statum Fratrum prædictorum, seu contra præmissa per Nos statuta, ordinata, concessa, disposita, decreta, declarata, suppleta, approbata, & etiam confirmata dogmaticent, scribant, determinent, prædicent, seu loqvantur prave publice, vel occultè; sed si qvid penes aliqvem in his ambiguitatis emerserit, ad culmen prædictæ Sedis Apostolicæ deducatur, ut ex auctoritate Apostolica sua in hoc manifestetur intentio, cui soli concessum est, in his Statuta condere, & edita declarare.

XXX. Glossantes verò in scriptis Constitutionem ipsam aliter, qvam eo modo, qvem diximus; Doctores insuper, & Lectores, dum docent in publico, ex certa scientia, & deliberate intellectum Constitutionis hujusmodi depravantes, facientes quoqve commentum, scripturas, seu libellos, ac ex certa scientia, & deliberate determi-

nantes in Scholis, seu prædicantes contra prædicta, vel aliqva, vel aliqvoq prædictorum, non obstantibus aliqvibus Privilegiis, vel Indulgentiis, aut literis Apostolicis, qvibuscvmqve dignitatibus Personis Ordinibus aut locis religiosis, vel sæcularibus, generaliter, vel singulariter, sub quacumqve forma, vel expressione verborum concessis qvæ nolumus aliqvibus in præmissis qvomodolibet suffragari, excommunicationis sententiæ, qvam nunc in ipsos proferimus, se noverint subjacere, â quo per neminem, nisi per Romanum Pontificem possint absolvi. Insuper tam istos, contra qvos per Nos Excommunicationis est prolata sententia, qvam alios, (si qvi fuerint,) contra præmissa, vel eorum aliqvod venientes, ad Sedis memoratæ volumus deduci notitiam, ut qvos provisus modus æqvitatis non arcet â vetitis, compescat rigor Apostolicæ ultionis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostræ Declarationis, Ordinationis, concessionis, dispositionis, suppletionis, approbationis, Confirmationis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qvis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Peatorum, Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Soriani xviij kalend. Septembris Pontificatûs Nostri Anno secundo.

CLEMENS PAPA V.

EXivi de Paradyso, dixi, rigabo hortum plantationum: ait ille cœlestis Agricola; qvi vero fons Sapientiæ, Verbum Dei â Patre in Patre manens, genitum ab æterno, novissime diebus istis (fabricante Spiritu Sancto) in utero Virginis Caro factum, exivit homo ad arduum opus redemtionis humani generis peragendum, exemplar se dando cælestis vitæ, præbens hominibus semetipsum. Verum quia plerumqve mortalis vitæ solicitudinibus pressus homo, men-

mentis aſpectum ab exemplaris hujusmodi intuitu divertebat; verus Noſter Salomon in ſolo militantis Eccleſiæ hortum voluptatis inter cæteros qvemdam fecit â procelloſis mundi fluctibus elongatum, in quo quietius, ac ſecurius vacaretur contemplandis, ſervandisqve hujusmodi operibus exemplaris; In hunc mundum introivit ipſe, ut rigaret ipſum fœcundis aqvis ſpiritualis gratiæ, & doctrinæ. Hic hortus ſiquidem eſt Fratrum Minorum Sancta Religio, quæ muris Regularis Obſervantiæ firmiter undiqve circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus, quæ ſuavitate mirâ, univerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt. Hæc eſt illa cœleſtis vitæ forma, & Regula, quam deſcripſit ille Confeſſor Chriſti eximius, Sanctus Franciſcus, ac ſervandam â ſuis Filiis verbo docuit, pariter & exemplo.

I. Quia verò dictæ Sanctæ Regulæ Profeſſores, ac æmulatores devoti, ut & Alumni, & veri Filii tanti Patris affectabant, ſicut & ferventer affectant ad purum, & ad plenum, promiſſam Regulam firmiter obſervare; Attendentes qvædam, quæ dubium poterant afferre ſenſum, in ipſius Regulæ ſerie contineri, pro ipſorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, ut certificati per ipſam, cujus pedibus etiam per ipſam Rrgulam ſunt ſubjecti, poſſent Domino, (pulſis cunctis dubiis) cum plena charitate conſcientiæ deſervire. Horum autem piis, ac juſtis ſupplicationibus plures Prædeceſſores Noſtri, Romani Pontifices ſucceſſive (ſicut dignum erat,) applicantes aures, & animum, declaraverunt ea quæ dubia videbantur. Ediderunt nonnulla, & aliqva conceſſerunt, ſicut expedire videbant Fratrum conſcientiis, ac puræ Obſervantiæ ſtatus. Verum quia plerumqve ubi culpa non eſt, etiam timere ſolent timoratæ conſcientæ, quæ in via Dei qvodcumqve devium expaveſcunt, non ſunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium

Fratrum conscientiæ qvietaæ, qvin circa aliqva ad Regulam, ipsorum que statum pertinentia, dubitationum in ipsis fluctus aliqvi generentur, & oriantur, sicut ad aures Nostras pluries, & de quam pluribus, in publicis, & privatis Consistoriis est perlatum. Quapropter per ipsos Fratres Nobis extitit humiliter supplicatum, qvatenus prædictis dubiis, quæ occurrerunt, & qvæ possunt occurere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia, de benignitate Sedis Apostolicæ curaremus.

II. Nos igitur, cujus animus ab ætate tenera piâ devotione efferbuit ad hujusmodi Professores Regulæ, & ad Ordinem ipsum totum; nunc autem ex communi cura Pastoralis Officii, & regiminis, quam immeriti sustinemus, ad ipsos fovendos dulcius, & attentius, gratiosis favoribus proseqvendos tanto provocamur attentius, quanto freqventius intentâ mente revolvimus fructus uberes, qvos ex eorum exemplari vita, & salutari doctrinâ toti universali Ecclesiæ continuo cernimus provenire; tam piâ supplicantium intentione commoti, ad peragendum diligenter, quod petitur, studia nostra duximus convertenda, ipsaqve dubia per plures Archiepiscopos, & Episcopos, & in Theologia Magistros, & alios literatos, & providos, & discretos examinari fecimus diligenter.

III. Cum igitur in primis ex eo, qvod in dictæ Regulæ principio habetur: Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet, Domini Nostri JESV Christi Sanctum Evangelium observare, in obedientia vivendo, sine proprio, & in castitate: Item infra: Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper, & Regulam observare; Item circa finem Regulæ: Paupertatem, & humilitatem, & sanctum Evangelium Domini Nostri JEsu Christi, qvod firmiter promisimus, observemus: Fuit hæsitatum, an Fratres ejusdem Ordinis, ad omnia tam præcepta, quam consilia Evangelii ex professione suæ Regulæ teneantur? qvibus dam dicentibus, qvoad omnia, aliis

aliis autem asserentibus, qvod ad sola illa tria consilia, videlicet, vivere in obedientia, in castitate, & sine proprio, & ad ea, qvæ sub verbis obligatoriis ponuntur in Regula, obligantur. Nos circa hunc articulum, Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, ipsumqve articulum, qvoad aliqvid clarius prosequentes, dictæ hæsitationi duximus respondendum, qvod cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere sub certo; vovens Regulam non potest dici, teneri ex vi voti hujusmodi ad ea consilia Evangelii, quæ in Regula non ponuntur: & qvidem Beati Francisci, Regulæ Conditoris hæc probatur fuisse intentio ex hoc, qvod qvædam Evangelica consilia in Regula posuit, aliis prætermisis. Si enim per illud verbum: Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, &c. intendisset, eos ad omnia consilia Evangelica obligare, superflue, & nugatorie, quædam eorum, suppressis cæteris, in Regula expressisset. Cum autem natura termini restrictivi hoc habeat, quod sic excludit ab ipso extranea, quod cuncta ad ipsum pertinentia concludit: Declaramus, & dicimus, qvod dicti Fratres non solum ad illa tria vota, nude, & absolute accepta, ex professione suæ Regulæ obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, qvæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, qvæ Regula ipsa ponit; Nam si ad hæc tria prædicta tantum præcise, & nude promittentes se servare Regulam, vivendo in obedientia, castitate, & sine proprio, & non etiam ad omnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur; pro nihilo, & vane proferentur hæc verba: Promitto semper hanc Regulam observare, ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur. Nec tamen putandum est, qvod B. Franciscus Professores hujus Regulæ, quantum ad omnia contenta in Regula, modificantia tria vota, seu ad alia in illa expressa, intenderit æqvaliter esse obligatos; qvin potius aperte discrevit, qvod qvoad qvædam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, & qvoad qvædam alia, non: cum ad qvædam ipsorum, verbum apponat præcepti, vel æqvipollentis eidem, & quoad aliqua verbis aliis sit contentus.

IV. Item, quia præter ea, quæ expreſſe verbo præcepti, ac exhortationis, ſeu monitionis ponuntur in Regula, nonnulla verbo imperativi modi negative, vel affirmative appoſita inſeruntur, hactenus extitit dubitatum, an tenerentur, ad iſta, vel ad habentia vim præcepti? Et qvia, ut intelleximus, non minuitur hoc dubium, ſed augetur, ex eo, quod felicis recordationis Nicolaus Papa III. Prædeceſſor Noſter noscitur declaraſſe, qvod Fratres ipſi ex profeſſione ſuæ Regulæ ſint adſtricti ad ea conſilia Evangelica, quæ in ipſa Regula præceptorie, vel inhibitoriè, ſeu ſub verbis æqvipollentibus exprimuntur, & nihilominus ad eorum omnium Obſervantiam, quæ ipſis in eadem Regula ſub verbis obligatoriis indicuntur: Supplicaverunt prædicti Fratres, ut ad ipſorum conscientias ſerenandas declarare, quæ horum cenſeri debeant præceptis æquipollentia, ac obligatoria, dignaremur. Nos itaqve, qvi in ſinceris horum conscientiis delectamur, attendentes, qvod in his, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conscientiæ, pars ſecurior eſt tenenda; Dicimus, qvod licet Fratres non ad omnium, qvæ ſub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, ſicut ad præceptorum, ſeu præceptis æqvipolentium Obſervantiam teneantur; expedit tamen ipſis Fratribus ad obſervandam paupertatem Regulæ, & rigorem, qvod ad ea, ſicut ad æqvipollentia præceptis ſe noverint obligatos, quæ hic inferius adnotantur. Vt autem hæc, qvæ videri poſſunt æqvipollentia præceptis ex vi verbi, vel ſaltem ratione materiæ, de qua agitur, ſeu ex utroqve ſub compendio habeantur: Declaramus, qvod illud, qvod ponitur in Regula de non habendo plures tunicas, qvam unam cum caputio, & aliam ſine caputio: Item, de non portandis calceamentis, & de non eqvitando extra caſum neceſſitatis: Item, qvod Fratres vilibus induantur: Item: quod jejunare à feſto Omnium Sanctorum, usqve ad Natale Domini, & in Sextis Feriis teneantur: Item, qvod Clerici faciant Divinum Officium ſecundum ordinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: Item, qvod Miniſtri, & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum,

& Fra-

& Fratribus induendis ſoliciram curam gerant: Item, qvod ſi qvis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debeant ei ſervire: Item, quod Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: Item, qvod nullus audeat penitus populo prædicare, niſi â Generali Miniſtro (vel aliis, qvibus ſecundum declarationem prædictam id competit) fuerit examinatus, & approbatus, & ad hoc inſtitutus: Item, quod Fratres, qvi cognoscerent, ſe non poſſe promiſſam Regulam ſpiritualiter obſervare, debeant, & poſſint ad ſuos Miniſtros recurrere: Item, quod omnia, qvæ ponuntur in Regula ad formam habitûs tam Novitiorum, qvam etiam Profeſſorum; necnon ad receptionis modum ac profeſſionem ſpectantia, niſi recipientibus quoad Habitum Novitiorum (ſicut dicit Regula) ſecundum Deum aliter videatur. Hæc, inqvam, omnia ſunt â Fratribus tanquam obligatoria obſervanda. Item Ordo communiter ſenſit, tenet, & tenuit ab antiquo, qvod ubicumqve ponitur in Regula hoc vocabulum: Teneantur, obtinet vim præcepti, & obſervari debet â Fratribus ſicut tale.

V. Cæterum, qvia Chriſti Confeſſor prædictus agendorum, ac ſervandorum circa recipiendos ad Ordinem, Miniſtris, & Fratribus modum præbens, dixit, in Regula, qvod Fratres caveant, & eorum Miniſtri, ne ſint ſolliciti de rebus ſuis temporalibus, ut libere faciant de eis, qvidqvid ipſis fuerit â Domino inſpiratum. Licentiam tamen habeant ipſi Miniſtri mittendi eos ad aliqvos Deum timentes, ſi conſilium reqviratur, qvorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Dubitaverunt, & dubitant multi Fratrum, an liceat ipſis de bonis qvicquam recipere, ſi donetur, & ſi ad dandum Perſonis, & Conventibus, poſſint eos inducere ſine culpa: ſi etiam ad disponendum de diſtributione rerum talium debeant ipſi Miniſtri, ſeu Fratres dare conſilium, ubi ad conſulendum alii, quam ex ipſis, ad quos ingreſſuri mittantur, poſſint idonei inveniri? Nos autem conſiderantes attente, intendiſſe S. Franciſcum, ſuæ Re-

gulæ Profeſſores, qvos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium per dicta verba ſpecialiter, & totaliter elongare, ut, qvantum eſt ex parte Fratrum, ipſorum receptio ad Ordinem ſancta, & puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantum divino ſervitio mancipandos: Dicimus de cætero debere tam Miniſtros, quam Fratres cæteros â dictis inductionibus ad ſibi dandum, & ſvaſionibus, necnon & dandis circa diſtributionem conſiliis abſtinere, cum pro hoc ad timentes Deum ſtatûs alterius mitti debeant, non ad Fratres, ut vere pateant cunctis eſſe tam ſalubris inſtituti paterni ſtudioſi zelatores, ſeduli, & perfecti; Cum vero facere de rebus ſuis, qvod Dominus inſpirabit, ipſamet Regula ingredientibus liberum velit eſſe; non videtur, qvin liceat eis recipere, conſideratis ſcilicet eorum neceſſitatibus, & moderaminibus declarationis jam dictæ ſiqvid de bonis ſuis intrans, ſicut & cæteris pauperibus, per modum eleemoſynæ libere velit dare. Cavere tamen in acceptatione oblatorum talium decet Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili præſumi poſſit ſiniſter oculus contra ipſos.

VI. Præterea, cum dicatur in Regula, quod illi, qvi jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qvi habere voluerint. Item, qvod Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur; Nosqve prædicta verba declaraverimus æquipollere præceptis, volentes hæc determinari plenius, dicimus, quantum ad numerum tunicarum, qvod pluribus uti non licet, niſi in neceſſitatibus, qvæ haberi poſſunt ex Regula, ſecundum qvod hunc paſſum memoratus Prædeceſſor Noſter plenius declaravit. Vilitatem autem veſtium, tam habitûs, quam interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ ſecundum consvetudinem, vel conditionem Patriæ debeat qvantum ad colorem panni, & pretium vilitas merito reputari: Non enim qvoad Regiones omnes poteſt determinatus unus modus

dus in talibus assignari. Hujusmodi etiam vilitatis judicium Ministris, & Custodibus, seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes, ita tamen, qvod servent in vestibus vilitatem. Quorum etiam Ministrorum, Custodum, Guardianorum judicio, eodem modo relinqvimus, pro qua necessitate possint ipsi Fratres calceamenta portare.

VII. Deinde cum duobus temporibus annotatis in Regula, scilicet à Festo Omnium Sanctorum usqve ad Nativitatem Domini, & maxime Qvadragesimæ, in qvibus jejunare tenentur, inferatur in eadem Regula. Aliis autem temporibus non teneantur, nisi Sextâ Feriâ jejunare, & ex hoc voluerunt aliqvi dicere, quod dicti Ordinis Fratres non teneantur, nisi ex condecentia ad alia jejunia, quam ad ista: Declaramus, debere intelligi, eos non teneri ad jejunium aliis temporibus, præterquam in jejuniis ab Ecclesia constitutis: Non est enim verisimile, qvod vel Institutor Regulæ, vel etiam Confirmator absolvere ipsos intenderit à servandis illis jejuniis, ad quæ de communi statuto Ecclesiæ obligantur cæteri Christiani.

VIII. Præterea, cum dictus Sanctus volens Fratres suos super omnia à denariis, seu pecunia, totaliter esse alienos, præcepit firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam; istumqve articulum declarans idem Prædecessor Noster, casus, & modos posuerit, qvibus servatis à Fratribus, non possint dici, nec debent, per se, vel per alium pecuniæ Receptores contra Regulam, vel sui Ordinis puritatem; dicimus, Fratres teneri cavere summopere, quod pro aliis causis, & sub modis aliis, qvam ponat dicti Prædecessoris Nostri Declaratio, ad dantes pecunias, sive deputatos Nuncios non recurrant, ne si secus ab ipsis attentatum fuerit, Transgressores præcepti, & Regulæ, merito dici possint: Nam ubi aliqvid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Quocir-

ca quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio in Ecclesia, vel alibi, cyppi, vel trunci ordinati ad offerentium, seu donantium pecunias reponendas, necnon & quicunqve recursus alius ad pecunias, seu habentes ipsas, qvi per declarationem prædictam non conceditur, hæc, inqvam, omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cum etiam recursus ad amicos spirituales expresse tantum in duobus casibus secundum Regulam concedatur, videlicet, pro necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis, idqve pie, & rationabiliter considerata necessitate vitæ ad alias necessitates Fratrum pro tempore occurrentes, cessantibus eleemosynis, seu etiam ingruentes sæpe dictus Prædecessor Noster duxerit extendendum: Attendant Fratres præfati, qvod pro nullis causis aliis, quam prædictis, vel similibus in via, vel alibi recurrere licet eis ad amicos hujusmodi, sive sint dantes pecunias, seu deputati per ipsos, sive nuncii, sive depositarii, sive alio quovis nomine appellentur; etiamsi concessi per eandem declarationem modi circa pecuniam integre servarentur. Deniqve cum idem Confessor summe affectaverit, suæ Regulæ Professores totaliter esse abstractos ab affectu, & desiderio terrenorum, & specialiter à pecunia, & ejus usu totaliter inexpertos, sicut probat prohibitio de recipienda pecunia in Regula sæpius repetita; curare Fratres vigilanter, necesse est, qvod cum ex causis prædictis, & modis, ad habendas pecunias deputatas pro ipsorum necessitatibus, recurrere oportebit ad tenentes ipsas, qvicumqve hi fuerint, principales, vel nuncii, in omnibus se gerant sic, quod se cunctis ostendant in dictis pecuniis (sicut nec habent) penitus nil habere. Quapropter præcipere, quid, & qvaliter pecunia expendatur, computumqve exigere de expensa, eam quomodocunqve repetere, sive deponere, aut deponi facere, capsulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre: hos actus, & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant; prædicta enim facere ad solos Dominos pertinet, qvidederunt, & ad eos, quos ipsi deputaverunt ad hoc ipsum.

IX. Pro-

IX. Proinde cum Vir Sanctus paupertatis promissæ in Regula modum exprimens, dixerit in eadem: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanqvam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vandant pro eleemosyna confidenter: sicqve declar tum extitit per nonnullos Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere, tam in speciali, quam etiam in communi, propter qvod, & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus, (quas, vel qvarum usum facti, scilicet Ordini, vel ipsis Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in se, & Romana Ecclesia receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis; ad Nostrum fuerunt deducta examen, qvæ in Ordine fieri dicebantur, & videbantur, prædicto voto, & puritati Ordinis repugnare; videlicet (ut ea prosequamur ex ipsis, qvæ remedio credimus indigere,) quod se instituti hæredes non solum sustinent, sed procurant. Item qvod redditus annuos recipiunt interdum in tam notabili qvantitate, qvod Conventus habentes, totaliter inde vivunt. Item, qvod cum ipsorum negotia, etiam prorebus temporalibus in Curiis agitantur, assistunt Advocatis, & Procuratoribus, & ad instigandum eosdem, se ibidem personaliter repræsentant; Item, qvod executiones ultimarum suscipiunt voluntatum, & gerant, seqve intromittunt qvandoqve de usurarum, & male ablatorum dispositionibus, seu restitutionibus faciendis; Item, qvod alicubi non solum excessivos hortos, sed etiam vineas magnas habent, de qvibus tam de oleribus, qvam de vino multum colligitur ad vendendum; Item, quod temporibus messium, & vindemiarum sic copiose granum, & vinum mendicando, vel aliunde emendo colliguntur â Fratribus, & in cellariis, ac granariis reconduntur, qvod per anni residuum, & absqve eorum mendicatione possunt transigere vitam suam; Item, qvod Ecclesias, & alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in qvantitate & curiositate

figuræ, & formæ, ac ſumptuoſitate notabiliter exceſſiva, ſic, qvod non videntur habitacula pauperum, ſed Magnatum: Paramenta etiam Eccleſiaſtica in plerisqve locis tam multa habent, & tam notabiliter pretioſa, qvod excedant in his magnas Eccleſias Cathedrales; Eqvos inſuper, & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indiſtincte: Tamen communitas Fratrum, & ſpecialiter Rectores ipſius Ordinis aſſerebant, qvod prædicta, ſeu plura ex ipſis in Ordine non fiebant, qvod & ſi qvi reperiuntur rei in talibus, rigide puniuntur; necnon contra talia nefiant, ſunt facta pluries ab antiqvo Statuta in Ordine multum ſtricta. Cupientes igiturNos ipſorum Fratrum providere conscientiis,& cuncta dubia (qvantum Nobis poſſibile eſt,) de ipſorum pectoribus removere, ad prædicta modo,qvi ſeqvitur,reſpondemus. Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id, qvod exterius agitur, interiorem mentis diſpoſitionem, & habitum repræſentet, neceſſe habent Fratres, qvi ſe expropriatione tanta â temporalibus abſtraxerunt, ab omni eo, qvod dictæ expropriationi eſſet,vel poſſet videri contrarium, abſtinere. Qvia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolum uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes: Fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acqvirere, & eorum Ordini poſſunt etiam in communi: declarando dicimus, qvod ſucceſſionum hujusmodi, qvæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendunt, (conſideratâ ſui puritate voti,) nullatenus ſunt capaces: Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam eorum partem, qvod præſumi poſſet hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, & ſic dimiſſa recipere: Qvin potius iſta ſic fieri ab ipſis, ſimpliciter prohibemus. Cumqve annui redditus inter mobilia cenſeantur â Jure, ac hujusmodi reddîtus obtinere, paupertati, & mendi citati repugnet, nulla dubitatio eſt, qvod prædictis Fratribus redditus quoscumqve, ſicut & poſſeſſiones,vel earum etiam uſum (cum eis non reperiatur conceſſus,) recipere, vel habere, conditione conſide-

rata

ratâ ipsorum, non licet. Amplius cum non solum qvod malum esse dignoscitur, sed & omne, qvod speciem habet mali, sit â viris perfectis specialiter evitandum; Ex talibus autem assistentiis in Curiis, & instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter ex his, qvæ foris patent, (de qvibus habent homines foris judicare) in ipsis rebus Fratres assistentes, aliqvid quærere tanquam suum; nullo modo debent hujumodi voti, & Regulæ Professores se talibus Curiis, & litigiosis actibus immiscere, ut & testimonium habeant ab his, qvi foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, ac evitetur per hoc scandalum proximorum.

X. Verum etiam cum dicti Ordinis Fratres non solum â receptione, proprietate, dominio, seu usu ipsius pecuniæ, verum etiam â contrectatione qvalibet ipsius, & ab ea sint penitus alieni, qvemadmodum sæpius dictus Prædecessor Noster in declaratione hujusmodi Regulæ plene dixit: Cumqve dicti Ordinis Professores pro nulla re temporali possit in judicio experiri, prædictis Fratribus non licet, nec competit; qvin potius consideratâ sui puritate status, debent sibi scire interdictum, qvod hujusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant, cum hæc sæpius absqve litigio, & contrectatione, vel administratione pecuniæ neqveant expediri, verum tamen in his exeqvendis dare consilium, ipsorum statuti non obsistit, cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuantur.

XI. Licet vero non solum sit licitum, sed & multum conveniens rationi, qvod Fratres, qvi in laboribus Spiritualibus Orationis, & Studii sedulo occupantur, hortos, & areas habeant competentes ad recollectionem, vel recreationem sui, & interdum ad seipsos post labores hujusmodi corporaliter deducendos, necnon ad habenda necessaria hortalitia pro seipsis: habere tamen hortos aliqvos, ut colantur, ac

olera, & alia hortalitia pretio distrahantur, necnon & vineas, repugnat suæ Regulæ, & Ordinis puritati, secundum qvod dictus Prædecessor declaravit, ac etiam ordinavit: Qvod si talia ad usus proxime dictos, ut puta agrum, vel vineam ad colendum, vel consimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres à receptione talium abstineant; cum etiam præmissa habere, ut pretium fructuum suis temporibus habeatur, ad naturam, & formam proventuum oppropinqvet.

XII. Rursus cum prædictus Sanctus, tam in exemplis vitæ, qvam verbis Regulæ ostenderit, se velle, qvod Fratres sui, & Filii Divinæ Providentiæ innitentes, suos in Deum jacerent cogitatus qvi volucres cœli pascit, qvæ non congregant in horrea, nec seminant, nec metunt; Non est verisimile, voluisse ipsum, eos habere granaria, vel cellaria, ubi sine qvotidianis mendicationibus deberent sperare, posse transigere vitam suam. Et ideo non ex timore levi relaxare se debent ad Congregationes, & conservationes hujusmodi faciendas: sed tunc tantum, cum esset multum credibile ex jam expertis, qvod non possent vitæ necessaria aliter inveniri. Hoc autem Ministrorum, & Custodum simul, & separatim in suis administrationibus, & Custodiis, (cum Gvardiani, & duorum de Conventu Loci Discretorum Sacredotum, & antiqvorum in Ordine, Fratrum consilio, & assensu) duximus judicio relinquendum, eorum super hoc specialiter conscientias onerando.

XIII. Hinc est etiam, qvod cum Vir Sanctus Fratres suos in Paupertate summa, ac humilitate fundare voluerit, qvoad affectum pariter, & effectum, sicut fere Regula tota clamat, convenit ipsis, qvod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia qvæcunqve ædificia, qvæ (considerato Fratrum inhabitantium numero) excessiva in multitudine, & magnitudine, debeant reputari: Ideoqve volumus, qvod ubiqve in suo Ordine deinceps

ceps temperatis, & humilibus ædificiis sint contenti, ne huic tantæ Paupertati promissæ, qvod patet oculis, contrarium foris clamet. Quamvis etiam paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem Divini Numinis ordinentur, propter qvem omnia fecit ipse Deus, tamen qvi absconditorum est cognitor, ad animam sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illa sibi vult serviri, qvæ suorum Servitorum conditioni, & statui dissonarent: Propter qvod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero, & magnitudine sufficientia competenter; superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel qvæcumqve curiositas, in his, seu aliis qvibuscumqve, non potest ipsorum professioni, vel statui convenire: cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam, Paupertati tantæ, qvoad humanum judicium, derogant manifeste; Qvapropter præmissa servari â Fratribus, volumus, & mandamus. Circa eqvorum verò, & armorum oblationes, illud decernimus in omnibus, & per omnia observandum, qvod per declarationem prædictam in pecuniariis noscitur eleemosynis definitum.

XIV. Ex præmissis autem succrevit non parum scrupulosa qvæstio inter Fratres, videlicet: Vtrum ex suæ professione Regulæ obligentur ad arctum, & tenuem, sive pauperem usum rerum? Qvibusdam ex ipsis credentibus, & dicentibus, qvod sicut qvoad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctissimam, ita ipsis qvoad usum arctitudo maxima, & exilitas est indicta: Aliis in contrarium asserentibus, qvod ex professione sua, ad nullum usum pauperem, qvi non exprimatur in Regula obligantur, licet teneantur ad usum moderatum temperantiæ, sicut magis ex condecenti, qvam cæteri Christiani. Volentes itaqve conscientiarum prædictorum Fratrum providere qvieti, & his altercationibus finem dare, declarando dicimus, qvod Fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos usus, seu pauperes, qvi in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo, sub quo continet, seu ponit Regula dictos usus.

Dicere autem, ſicut aliqvi aſſerere perhibentur, qvod hæreticum ſit, tenere uſum pauperem, includi, vel non includi ſub voto Evangelicæ Paupertatis, præſumptuoſum, & temerarium judicamus.

XV. Demum qvia ex eo, qvod dicta Regula, per qvos, & ubi fieri debeat Miniſtri Generalis Electio, tradens, nullam facit de Miniſtrorum Provincialium Electione, vel Inſtitutione penitus mentionem, oriri poterat ſuper hoc dubitatio inter Fratres. Nos volentes, poſſe ipſos clare, ac ſecure procedere in omnibus factis ſuis declaramus, ſtatuimus etiam, & ordinamus hac Conſtitutione in perpetuum valiturâ, ut cum alicui Provinciæ de Miniſtro fuerit providendum, ipſius Miniſtri Electio penes Capitulum Provinciale reſideat, qvam idem Capitulum die ſequenti, qvâ fuerit congregatum, facere teneatur: Ipſius autem Electionis confirmatio ad Miniſtrum pertineat Generalem. Et ſiqvidem ad Electionem hujusmodi per formam Scrutinii procedatur (votis in diverſa diviſis) electiones plures in discordia celebrari contingat, illa, qvæ â majori parte Capituli numero (nullâ zeli, vel meriti collatione, aut conſideratione habitâ,) fuerit celebrata, exceptione, ſeu contradictione qvâcumqve alterius partius non obſtante, per dictum Generalem Miniſtrum de conſilio Discretorum de Ordine (prius tamen ex Officio, prout ſpectat ad ipſum, diligenti examinatione præmiſſa,) confirmetur, vel etiam infirmetur, prout ei ſecundum Deum viſum fuerit expedire, & ſi fuerit infirmata, ad Capitulum Provinciale Electio hujusmodi revertatur.

XVI. Cæterum, ſi Capitulum memoratum die prædicta Miniſtrum eligere prætermittat, extunc Miniſtri Provincialis proviſio ad Generalem Miniſtrum libere devolvatur. Verum ſi Miniſtro prædicto, & Capitulo, Generalibus, ex certa, manifeſtâ, & rationabili cauſa videretur aliqvando, in Provinciis Vltramarinis Hyberniæ, Græciæ, ſeu Romaniæ, in qvibus hactenus alius providendi

dendi modus dicitur ex causa certa, & trationabili, fuisse servatus, expedire Ministrum Provincialem per Ministrum Generalem, cum Probarum Ordinis consilio potius, qvam per prædicti Capituli electionem præfici, id servetur in Provinciis Hyberniæ, & in Vltramarinis irrefragabiliter. In Romania verò, vel Græcia, qvando Minister dictæ Provinciæ moreretur, vel absolveretur citra mare, illâ vice servetur absqve dolo, partialitate, & fraude: (super qvo eorum conscientias oneramus,) qvod super hoc dictus Minister cum dictorum Proborum consilio duxerit ordinandum.

In destitutione verò dictorum Ministrorum Provincialium servari volumus, qvod super hoc hactenus in ipso Ordine extiterit observandum. Cæterum si contingeret, eosdem Ministro Generali carere, per Vicarium Ordinis fiat super hoc, qvod faciendum fuerat per eundem Ministrum, usqveqvo provisum fuerit de Generali Ministro. Porro si qvid de hujusmodi Ministro Provinciali secus attentari forte contigerit, illud ipso facto sit irritum, & inane.

XVII. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum Declarationum, dictorum, Commissionis, mandati, Constitutionum, judicationum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum, Petri, & Pauli, Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viennæ &c. Anno 1311. Pontificatûs septimo.

Forma Professionis Fidei à Regularibus Prælatis facienda.

EGo Frater N. N. Ordinis Minorum Sancti Patris Francisci Regularis Observantiæ firmâ fide credo, & profiteor omnia & sin-

gula, qvæ continentur in Symbolo fidei, qvo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum JESVM Christum, Filium Dei Vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia Sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qvi propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrrexit tertiâ die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum, Sanctum, Dominum, & vivificantem. Qvi ex Patre, Filioqve procedit; Qvi cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: Qvi locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum: Et vitam venturi Sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasqve ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, qvem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec unqvam eam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, interpretabor.

Profiteor qvoqve septem esse vere, & proprie Sacramenta novæ Legis â JESU Christo, Domino Nostro instituta, atqve salutem huma-

humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet; Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaqve gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos qvoqve, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & justificatione, in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deum verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis: atqve in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sangvinem, una cum anima, & divinitate Domini Nostri JESU Christi; fieriqve conversionem totius Substantiæ panis in Corpus, & totius Substantiæ vini in Sangvinem; Quam conversionem Catholica Ecclesia Trans substantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atqve integrum Christum, verumqve Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasqve ibi detentas Fidelium suffragiis juvari: Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atqve invocandos esse, eosqve orationes Deo pro nobis offerre, atqve eorum Reliqvias esse venerandas.

Firmissime assero Imagines Christi, ac DEIparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atqve eis debitum honorem, & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumqve usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam,& Apostolicam Romanam Ecclesiam,omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoqve Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis Successori, ac JESU Christi Vicario veram obedientiam spondeo & juro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atqve profiteor; simulqve contraria omnia, atqve hæreses quascunqve ab Ecclesia damnatas, rejectas, & anatematizatas ego pariter damno, reiicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, ac veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usqve ad extremum vitæ spiritum constantissime, (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atqve meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego Idem Fr. N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

LAVS DEO.

IN-

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in his Statutis continentur.

A.

ASpirantes ad Habitum & Religionem noſtram qvaliter examinandi pag. 3 Num. 1.

Qvas conditiones habere debent. Ibidem.

Qvi ſunt ab ingreſſu ad Religionem repellendi. pag. 3. n. 2.

Pro Laicis qualiter & qvibus conditionibus recipiendi. ibidem n. 3

Singulis Aſpirantibus fiat proteſtatio pag. 4. n. 5.

Proteſtationis forma. pag. 5.

Abſolutio ſusceptorum à Cenſuris fiat anteqvam induatur pag. 5. & 6. n. 6.

Apparatus pretioſi &c. non procurentur nec acceptentur. pag. 60. n. 4.

Arbores in Skępenſi & Gorcenſi Conventibus manu tenendæ. pag. 61. n. 5.

Forma abſolutionis plenariæ in extremis conſtitutorum Fratrum. pag. 65. n. 1.

Abſolutio ampla ab omnibus caſibus, quoad Fratres, Miniſtris & eorum Vicariis conceſſa. pag. 72. n. 5.

Arctatio ſive domus disciplinæ qvid. pag. 78. n. 7.

Apoſtaſiæ gradus & pœnæ. pag. 79. & infra.

Aliarum Provinciarum Apoſtatæ ad Propria remittantur. pag. 82. n. 9.

Ab Apoſtaſia Romæ abſoluti non cenſentur abſoluti ab aliis delictis. pag. 83. n. 11.

Apoſtatæ niſi poſt decennium ad officia apti. pag. 83. n. 13.

Apoſtatæ qualiter abſolvendi. pag. 84.

Abſolutionis in Electionibus Capitularibus dandæ forma. pag. 106.

Abſentium vel defunctorum vota in

ta in Capitularibus electionibus per alios suppleri neqveunt. pag. 109. n. 10.

Auditores Causarum pg. 114. n. 1.

Acta Capitularia penes Ministrum sint, & qvid in illis adnotandum. pag. 117. n. 2.

Apellatio contra Visitatores nulla. pag. 146. n. 5.

Accusatio Accusator. pag. 148.

Accusatus Diffamatus. pag. 151.

Apellatio & ejus conditiones. pag. 155.

Absolutio Generalis tempore Visitationis. pag. 157.

Accessus ad portam Monialium & Collocutoria qvaliter fiat. pag. 160. n. 2. & pag. 161. n. 3.

Appendix statutorum Necessaria. pag. 164. & 165.

Approbatio horum Statutorum. pag. 166. & 182.

B.

Biretino nemo utatur in publico, pag. 25. n. 4.

Bibliothecæ fovendæ & providendæ. Illarum Præfecti Patres Concionatores. pag. 57. n. 1.

De Bibliothecis qvaliter libri Fratribus ac aliis extradendi. ibidem. n. 2.

Superiores Locales Libros revideant & inventarium habeant. pag. 58. n. 3.

C.

Constitutiones ac Decreta Pontificia legantur illis diebus qvibus præscribuntur. pag. 1. n. 1.

Cilicia non nisi aliqvibus concedenda. pag. 24. & 25. n. 3.

Calepodiis ligneis omnes utantur exceptis infirmis. pag. 25. n. 4.

Calepodiorum altitudo. ibidem.

Chordæ non sint nimis albæ nec curiosæ. ibid.

Corona clericalis sit trium digitorum. pag. 26. n. 1.

A Choro nemo exemptus nisi sit legitime impeditus. pag. 29. n. 5.

In Expositione Sanctiss. oximiores Candelæ sint de cera ad Singulas horas duæ ardeant pag. 30. n. 8.

Consolatio ad Mensam Fratribus qvando danda. pag. 38. n. 3.

Capellaniæ sublatæ. pag. 41. n. 5.

Computus perceptarum & expensarum Eleemosynarum singulis Mensibus fiat. pag. 49. n. 10.

Conclusiones defendentium sine

fine exqvisitis Iconibus fiant. pag. 55. n. 4.

Pro his sumptus Conventus suppedit. & Ibid.

Cellam alterius absente Fratre ingredi vel de illa auferre aliqvid non licet. pag. 62. n. 8.

Confessores Fratrum qui sint. pag. 68. n. 1. & 2.

Clerici ac Fratres Juniores qvibus confiteantur. pag. 69. n. 2.

Confessor extraordinarius à qvo assignandus. ibidem.

Libera electio Confessarii Juvenibus qvoties in Anno. ibidem.

A Casibus reservatis qvis & qvamdiu potestatem habet. ibidem. n. 3.

Confessorum examen ad qvos spectat. ibidem & pag. 70.

Casus ad Mensam proponantur & resolvantur. pag 70. n. 4.

Confessarii Emeriti, qvi instituendi. ibidem. n. 5.

Confiteri extra ordinem qvando & qvibus & qvomodo. pag. 70. n. 6. & pag. 71.

Tabula Casuum Reservatorum in ordine. pag. 71.

Fratres de Conventu egressuri etiam Guardiani Claves à Cellis relinquant. pag. 60. n. 3.

Confessarii Sæcularium uti & Fratrum qvales & cuius ætatis, pag. 73. n. 7.

Culpæ Generales Clericorum & Juniorum ter in Hebdomada. pag. 74. n. 1.

Item Singulis qvatuor temporibus. Ibidem.

Culpa omnium in Communi qvando facienda in Refectorio. pag. 75. n. 2.

Culparum particularium modus ibidem. n. 3.

Carceris formalis pœna qvid. pag. 77. n. 4

Carceribus formalibus, qvi mancipandi. ibidem.

Carceres perpetui, & ob qvæ crimina. ibidem. n. 5.

Ad perpetuos carceres damnati, uti ad temporales confiteantur & in die Paschatis communicent, officium Divinum dicant deturqve illis Breviarium. pag. 78. n. 6.

Tribus vicibus in septimana jejunent. Ibidem.

Inculpandis & corrigendis delictis Fratrum potestas Superioribus Localibus attributa. pag. 86. n. 34. & pag. 87. n. 5. & 6.

Correctio delinqventium non differatur. pag. 86. n. 3.

Cremati potus caute propinandus. pag. 93. n. 3.

Capitulum Provinciale qvando celebrari debet. pag. 97. n. 1.

Commissarius Visitator Generalis qvando mittendus & qvaliter tractandus. Ibidem.

Literis adventum, suum intimet. Ibidem. n. 2.

Munera non acceptet super qvo testimonium habeat à singulis locorum Superioribus pag. 98. n. 3.

Ordinata immutare, contra Statuta Provincialia & alia qvædam facere neqvit pag. 101. n. 5.

Capituli Locus. pag. 101. n. 1.

Necessitatibus Capituli per qvos providendum. Ibidem.

Ad Capitulum Provinciale qvi sunt vocandi. pag. 102. n. 2.

Gvardiani pro Capitulo pergentes bini & bini associentur in una vectura, & inventaria ac computus Eleemosynarum, testimoniaqve jurata secum deferant. pag. 102. n. 3. & pag. 103. n. 4.

Patres item Lectores & Prædicatores testimonia præsentare tenentur. Ibidem.

Deposita si sint contra aliqvem in Capitulo tempestive manifestentur & discutiantur uti & singula testimonia Gvardianorum Lectorum ac Prædicatorum. pag. 104. n. 1.

Capituli Orator ac Normatores. Ibidem.

Confirmatio Ministri, Custodis, ac Diffinitorum in Ecclesia cum qvibus ceremoniis. pag. 110. & 112.

Commissarius Provincialis qvaliter eligendus. pag. 117. n. 3.

Illius potestas Ibidem. pag. 118.

Mortuo Ministro in Vicarium transit. Ibidem.

Mortuo Commissario Provli Pater dignior regit Provinciam. Ibidem.

Commissarius sive Pro-Minister qvaliter eligendus. Ibidem. n. 4.

Ejus præcedentia. Ibidem.

Contributio pro necessitatibus Prouinciæ qvalis. Ibidem. n. 5.

Contributiones extraordinariæ à qvo taxandæ, & qvomodo. pag. 119.

Custos Provinciæ in Capitulo eligendus & qvalis. pag. 121. n. 1.

Debet vacare sexennio, Immediate Diffinitor esse non potest, bene

bene tamen Minister, vel Gvardianus. pag. 122. n. 1.

Custos extra Capitulum electus. Ibidem.

Ex absentia nequit fieri Subrogatio in locum eius. Ibidem.

Ad Capitulum Generale scripturas deferat. Ibidem.

Custodis privilegia & præcedentia ac ad chorum obligatio. pag. 123. & 124. n. 3.

Confessores Monialium qvales & cujus ætatis. pag. 131. & 132. n. 1.

Ordinariis se præsentent & licentias petant pro Confessionibus toties qvoties. Ibid.

Triennio durent nec ad idem Monasterium destinari valent nisi post triennium. Ibidem.

Confessariorum socii qvales, & illorum munus. Ibidem. n. 2.

Confessarii Gvardianis subsint nec regimini Monialium se ingerant ac benedictionem petant egressuri. Ibidem.

Nullas particulares confidentias inter Monailes habeant. Ibidem. n. 3.

Qvaliter infirmis Sacramenta ministrent, & illorum in absolvendo potestas, pag. 132. & 133. n. 3. & 4.

Fratres Canapari officium. pag. 139.

Frater Cocus. pag. 140.

Cantorum officium. pag. 134. n. 1.

Libros Scribentium respectus, Ibidem. n. 2.

Cantoris adjutor, Ibidem.

Campanarum majorum pulsus qvando. pag. 135. n. 1.

Clausura Monialium. pag. 161. n. 3.

Confessor extraordinarius Monialium. pag. 133. n. 5.

D.

Declarationes in regulam una cum statutis bis in anno legantur. pag. 2. n. 2.

Disciplina qvando ubi & qvomodo peragenda. pag. 52. & 53.

Divinum officium graviter & modeste cum debita pausa die, noctuqve persolvatur pag. 28. n. 4.

Nemo à Choro immunis nisi legitime, sit impeditus. pag. 29. n. 5.

Qvæ Horæ Divini officii & qvando cantandæ. pag. 30. n. 7.

Domus Conventibus donatæ

per Syndicos divendantur. pag. 60. n. 4.

Depoſita Sæcularium ad Conventus non recipiantur, vel qvomodo. pag. 61. & 62. n. 6.

Superiora Dormitoria occluſa maneant. pag. 68. n. 3.

Delinqventes & anteqvam accuſentur ad Prælatum recurrentes qvaliter puniendi. pag. 73. n. 6.

Delinqventium correctio ad adventum Miniſtri non differatur.

Diſcreti delinqventes culpari poſſunt & debent pœnis ordinariis à Gvardiano, pag. 86. n. 3. & 4.

Diffinitores ultra qvatuor eſſe non poſſunt. pag. 3. n. 12.

Diffinitorium Lectores inſtituit & confirmat. pag. 114. n. 1.

Diffinitores qvatuor non plures eligendi, illorum ætas & qvalitates. pag. 122. n. 1.

Qualiter vacare debent & ad qvid reeligi. Ibid.

Diffinitor actualis Guardianus eſſe nequit, nec Confeſſor Monialium, aut Magiſter Novitiorum. pag. 123. n. 1.

Subrogatio in locum Diffinitoris qvaliter fiat. Ibidem. n. 2.

Diffinitorum privilegia, præcendentia & obligatio ad Chorum. pag. 124. n. 3.

Pro Conſangvinei duo eligi neqveunt, nec Conſangvinei Miniſtri. pag. 124. n. 1.

Diſcreti Conventuum qvot & qvales. pag. 129. n. 2.

In Discretorio pluralitas votorum concludit, & qvomodo. pag. 130. n. 3.

In Discretorio qvi locum habent, Ibidem.

Discretorum interſe præcedentia. Ibidem.

Delicta gravia pag. 147.

Dotes Monialium non conſumendæ. pag. 162. n. 6.

Dos ante Profeſſionem reddatur. pag. 163. n. 8.

Diviſio Qvæſtæ. pag. 167.

Declarationes in Regulam. pag. 183.

E.

EXpoſitio in Regulam qvavis feria qvinta & ſabbatho legatur ad Menſam. pag. 1. n. 1.

Examen aſpirantium ad Religionem à qvo & qvaliter recipi debet. pag. 3. & 4. n. 4.

Excommunicantur Fratres aliqvid

qvid à Novitiis accipientes & pænam proprietariorum incurrunt pag. 7. n. 7.

Examen ad ſacros ordines promovendorum qvaliter & per qvos fieri debet. pag. 22. n. 3. & pag. 23. n. 3.

Errores in raſura commiſſi publicè corrigantur. pag. 26. n. 1.

Examen Conſcientiæ poſt cænam pag. 39. n. 5.

Egredi de Conventu ſine licentia Superioris non licet. pag. 39. n. 1.

Egredientes pro Veſperis redeant ex Civitate. Ibidem.

Qvoties & qvibus egreſſus de Conventu concedendus ac qvaliter. pag. 40. n. 2.

Egreſſi ad Benefactores ultra duas Septimanas non morentur. pag. 41. n. 3.

Eqvitare ac currizare qvibus liceat & qvomodo. pag. 42. n. 1.

Eqvis ac curru utentes qvaliter per Civitates incedere debent. pag. 43. n. 2.

Eqvi ac Boves determinantur qvot eſſe debent. pag. 43. n. 2.

Eleemoſynarum computus cum Syndicis fiat & qvaliter. pag. 45. n. 3.

Ad exercitia manualia Fratres qvotidie deputentur. pag. 50. n. 2.

Etiam ſacerdotes ad laboritia obligantur. Ibidem. n. 1.

Ædificia antiqva ruinari nova qve fabricari neqveunt absqve licentia pag. 61. n. 5.

Examen Confeſſorum. pag. 70. n. 3.

Excommunicatio qvid & á qvo ferenda ac qvaliter. pag. 79. n 9.

Electiones Capitulares de mane inchoandæ, qvibus nemo interſit præter Vocales. pag. 104. n. 2.

Electio Miniſtri ante ſolis occaſum terminanda alias ad Patrem Generalem devolvitur. pag. 110. n. 11.

Electiones ſint liberæ ac digniores eligendi. pag. 105. n. 3.

Super qvos neqvit cadere electio. Ibidem.

Electiones ſint ſecretæ ac per ſchedulas. pag. 108. n. 9.

Electi pluralitatem Votorum majoris partis habere debent pag. 110. n. 11.

Electionis publicandæ forma. pag. 111.

Electio indigni irrita manet. pag. 111.

Electio Guardianorum qvalis & qvomodo fiat. pag. 114. n. 2 & 3.

Ex-Provinciales Conventum suæ Mansionis eligere valent cum licentia, socium grætum & præcedentiam habent. pag. 119. n. 6.

Electio Abbatissæ qvaliter & à qvibus pag. 153. n. 9.

E.

FOrma Professionis, pag. 18.

Forma Habitus qvalis, pag. 24. n. 2.

Fratres bini ad extra mittantur, pag. 40. n. 3.

Ad alios conventus missi nil de loco accipiant præter sibi concessa. pag. 41. n. 4.

Sarcinulas suas præsentent, Ibidem.

Fratres non inducant Benefactores ad legandum vel inscribendum aliqvid. Pag. 47. n. 7.

Forma protestationis circa legata. pag. 48.

Fratres artifices non laborent in Domibus sæcularium. pag. 51. n. 3.

Fratres nil sine scitu Superioris acqvirere, servare, donare possunt. pag. 59. n. 1. & pag. 60. n. 3.

Famuli plures qvam sint necessarii non conserventur. pag. 61. n. 5.

Forasteriæ in singulis Conventibus erigantur & conserventur. pag. 66. n. 1.

Exceptor Hospitum. pag. 77. n. 2.

Forma absolutionis Apostatarum. pag. 84.

Forma absolutionis generalis tempore Visitationis. pag. 157.

Forma induendi Tertiarios pag. 174.

Forma Professandi. pag. 179.

Forma Professionis Fidei in fine pag. ultima.

G.

GVardiani ad loca ubi sunt Nostri Conventus recta vadant illuc, & ad Civitatem egressuri petant benedictionem ac socium. pag. 41. n. 5.

Granum sæculárium in Conventibus non servetur. pag. 61. n. 6.

Gvardiani ultra territorium & limites sui Conventus exire nec

Fra-

Fratres mittere possunt sine licentia. pag. 63. n. 2.

Idem non divagentur, Chorum frequentent. Ibidem & pag. 64.

Gvardiani à levi percussione absolvant uti & Vicarii. pag. 73. n. 6.

Gvardiani etiam supra Discretos qvo ad culpas ordinarias habent potestatem. pag. 86. n. 3. & 4.

Ad Capitulum pergentes bini ac bini associentur in una vectura. pag. 103. n. 3.

Ad Capitulum Regestra, Inventaria, & Testimonia reportent. pag. 104. n. 4.

Viciniores pro Capitulo Subsidia ferant uti licuerit. pag. 102. n. 1.

Guardiani qvaliter eligendi. pag. 114. n. 2. & n. 3. Illorum ætas & conditio. Ibidem.

Qvi neqveunt ad Gvardianatum eligi. pag. 126. n. 1.

Vltra triennium durare non possunt, nec Præsidentes institui, vel ex Præsidentia Gvardiani eligi neqveunt pro eodem Conventu. Ibidem n. 2.

Vno Anno vacare tenentur. Ibidem.

Privari officio vel de loco ad locum mutari qvaliter possunt. pag. 126. & 127. n. 3.

Custodes sive Guardiani Custodiæ utriusqve nullam Jurisdictionem habent in alios Conventus. pag. 127. n. 4.

Illorum præcedentia. Ibidem.

Gvardiani Ordinariis se præsentent qvàm primum & approbationem pro Confessoribus petant. Ibidem.

Inqvirant de factis sub tempus Capituli vel Congregationis Ibidem.

Extra limites qvæstæ sui Conventus exire ac Fratres mittere neqveunt. Ibidem.

Cellas qvatuor vicibus visitent in Anno Ibid.

Ad Chorum & Hebdomadam obligantur pag. 126. n. 2.

Missis Conventus non onerent, nec officiales mutent ac Exorcistas instituant, pag. 127. & 128. n. 4.

Tempore pestis vel Belli Conventum foveant libros & alia alio transvehant Ibidem. n. 4.

Defunctorum Fratrum ac Benefactorum seriem in Archivo adno-

adnotent & munimenta ſervent ac renovent. Ibidem.

Germanæ Sorores in Monaſterio, pag. 163, n. 8. & 9.

H.

HAbitus ſint ex panno cordelato cinericei coloris, pag. 23. n. 1.

Habitus forma qvalis. pag. 24. n. 2.

Habitus veteres, pallia, & Chordæ remittantur ad Noviciatus. pag. 24. n. 2.

Vno habitu qvilibet ſit contentus & una tunicella pag. 24. n. 3.

Alia Tunicella poteſt concedi. Ibidem.

Sine habitu in publico non eſt incedendum. pag. 25. n. 5.

In habitu dormire infirmi & provectiores non obligantur. Ibidem.

Hortus & Pomaria Domus prata &c. pro æſtimato pretio non locentur aliis. pag. 60. n. 4.

Horologia pectoralia prohibentur. pag. 62. n. 7.

Hospites charitative tractentur. pag. 66. n. 1.

Noſtri triduo elapſo ad chorum obligantur. pag. 67. n. 1.

Fratrum Hospitum pedeſter venientium pedes laventur. Ibidem. n. 2.

Nullus præter Exceptorem Forenſium hospitibus tractandis ſe ingerat. Ibidem.

I.

JEjunia præcepta domi forisqve ſerventur. pag. 31. n. 1.

In aliis ex devotione ſtetur Conſvetudini. Ibidem.

Ad jeiunandam benedictam Fratres non cogantur. Ibidem.

VigiliæPentncoſtes, Portiunculæ ſ Francisci & Parasceves qvaliter jejunandiæ. pag. 33. n. 2.

Jejunia privata tolluntur. Ibidem.

Aliis Jejunantibus Superiores neceſſaria provideant. pag. 32. & 33. n. 2.

Collationes ſub tempus jejunii qvales ſint, & qvando & qvibus lautiores pag. 33. n. 3.

Forma benedictionis Jejunantibus. pag. 34.

Die Natalis Chriſti ſi in feria ſexta venerit omnino jejunandum. Ibidem. n. 3.

Infirmis Fratribus omnis Charitas

Summentum de absolutes ... Mihi faciendum. Ad Aug. quare ... fol. 10 ... scripsi ...

ritas & neceſſaria exhibeantur, etiam cum oppignoratione Eccleſiaſticæ Suppellectilis. pag. 64. n. 1.

Infirmariæ cum debita Suppellectili inſtruantur. Ibidem. n. 2.

Infirmis protervis Superiores providere non tenentur. Morbum fingentes ad Menſam Communem compellantur. pag. 65. n. 2.

Infirmi viſitentur qvotidie ab aliis ex officio, Infirmarii deputentur. Ibidem. n. 3.

Januæ Refectorii & Dormitorii obſeratæ maneant. pag. 68. n. 3.

Incorporari in Noſtra Provincia nemo valet niſi per Generalem. pag. 82. n. 10.

Incorporati à die incorporationis locum teneant. Ibidem.

Inobedientes qvi. pag. 85. n. 1.

Juramenti in Electionibus præſtandi forma. pag. 108.

Judex qvi & qvalis. pag. 153.

Ingredi Clauſuram qvomodo licet. pag. 161. n. 3.

L.

FRatres Laici qvibus officiis in Choro intereſſe tenentur. pag. 29. n. 6.

Bis in hebdomada cum Clericis confiteantur, ac diebus Solemnioribus communicent Ibidem.

Ad inſerviendum Miſſis præſto ſint. Ibidem.

Lampas die noctuqve continuo ardeat coram Venerabili. pag. 30. n. 8.

Lectio ad Menſam fiat toto refectionis tempore pag. 38. n. 3.

Qvi ad menſam legere debent, Ibidem. n. 4.

Legata qvaliter acceptanda. pag. 48.

De his nonfiant contentiones Juridicæ Ibidem. n. 8.

Lectorum inſtitutio qvaliter & qvalium pag. 53. n. 2. & pag. 54. n. 3.

Qvotidie legere repetere & explicare tenentur ac Disputationes habere ſtatutis temporibus. Ibibem. n. 4.

Lectores in his qvæ ſtudium concenunt habent poteſtatem in ſtudioſos, ſunt liberi a Choro qvaliter & qvando. pag. 55. n. 5.

Lectores Theologi Sexennales præcedant Gvardianos Forenſes. Ibidem.

Libri Studiis inſervientes poſſunt

ſunt alio transferri. pag. 58. n. 3.

Libri prohibiti ſeorſive collocandi. Ibidem.

Lateres cocti pro fabrica comparati foris non dentur. pag. 61. n. 5.

Literæ officioſæ ac ſuperfluæ non ſcribantur, ſcriptæ à Superiore legantur & ſigillo Conventus ſignentur. pag. 92. n. 2.

Tituli in ſuperſcriptione Literarum qvales dandi Noſtris. Ibid.

Licentia extra Regnum & exteras Regiones. pag. 164.

M.

MAgiſtri Seminarii qvi ſint & qvales eſſe debeant. pag. 22. n. 1. & 2.

Qvalem habeant poteſtatem. Ibidem.

Miſſa ſicca bis in anno in Refectorio propter Ceremonias peragatur ſub præſidentia Patris alicuius. pag. 27. n. 1.

Miſſa de Conceptione qvovis ſabbatho cantetur vel legatur. Ibidem. n. 2

Miſſa Conventualis qvotidie perſolvatur cui omnes Clerici & laici interſint. pag. 27. n. 1.

Miſſæ de reqviem feriis Secundis. Item Confraternitatum ac aliæ ad pulpitum non vero ad Organa decantentur. pag. 27. n. 2

Miſſæ pro ſeptima à ſacerdotibus perſolvendæ per Superiores deſignentur non tamen ultra qvinqve pro ſingulis. pag. 27. n. 3.

Miſſa Secunda vel Tertia ac ultima ſit ad Majus Altare, & pro his abſolvendis ſcribantur Patres. pag. 28. n. 3.

Miſſæ Cantatæ diebus Feſtis & Ferialibus qvando peragendæ. Ibidem.

Matutinum in Feſtis Sabaoth. & ſolemnibus qvaliter perſolvendum. pag. 29. n. 7.

In Miſſis Cantatis ad Verba Symboli descendit de cælis. item ad Verſum: Monſtra te eſſe Matrem. Item ad Elevationem omnes de ſtallis ad medium exeant & genu flectant. pag. 30. n. 8.

Pro Fratribus mortuis Curſoriæ ex nunc expediendæ. Suffragia pro illis qvalia peragenda. pag. 31. & 32. n. 10.

Ad Menſam omnes conveniant tempeſtivè, nec absqve licentia egrediantur. pag. 36. n. 1.

Vni-

Vniformitas cibi ac potus ſervetur ad menſam exceptis aliqvibus. pag. 37. n. 1.

Specialia aliunde miſſa Superiori præſententur, & ad menſam cum aliis porrigantur. Ibidem, n. 2.

Ad Menſam Refectorii ſæculares non admittantur niſi Spectabiles Benefactores. pag. 38. n. 3.

Menſis inſervire qvi obligantur. Ibid. n. 4.

Manipuli ad Superfluitatem non petantur & qvam primum triturentur. pag. 63. n. 1.

Miniſtri & eorum Vicarii Fratres à qvibus Caſibus abſolvere valent pag. 72. n. 5.

Miniſter Provincialis Gvardianum officio privare neqvit, bene tamen ſuspendere. pag. 78. n. 8.

Qvi in Miniſtrum eligi valet, & qvibus Conditionibus. pag. 105. n. 4.

Miniſtri per Præſidem Capituli Confirmatio in Eccleſia. pag. 111. & 112.

Sit Triennalis non ultra, alias ut Commiſſarius regat. pag. 116. n. 1.

Singulis Annis viſitet Provinciam nec prolixius moretur in Conventibus Ibidem.

Viſitatori Generali obedire tenetur pag. 117. n. 1.

Ab eius obedientia nemo exemptus, Ibidem.

Nil decidere in Cauſis arduis: uti inſtituere vel deponere neqvit ſine Diffinitorio. Ibidem.

Commiſſarios privatos qvaliter inſtituere valet. Ibidem, n. 2.

In abſceſſu Miniſtri ex Provincia Comiſſarius eligendus & qvomodo. pag. 117. n. 3.

Neqvit reeligi ad idem officium niſi poſt ſexennium pag. 119, n. 6.

Nec in Gvardianum immediate aut in Vicarium Provinciæ niſi poſt triennium, bene tamen Cuſtos fieri. Ibidem.

Inventaria Capitularia Succeſſori reddat. Ibidem.

Miniſtro mortuo vel reſignante primo Anno ſui officii qvid agendum. pag. 121. n. 3.

Mortuo Miniſtro inventaria confecta ad Primarium Patrem reddenda. pag. 119. & 120. n. 1.

Mortuorum Fratrum ſeries in

Actis Provinciæ ponatur. pag. 117. n. 2.

Magistri Noviciorum qvalitas & ætas. pag. 130. n. 1.

Mortificationes Noviciis injungat singulis qvatuor temporibus. pag. 131. n. 2.

Cellas visitet, circulum habeat, extra Conventum non egrediatur. Ibidem.

Minister conformiter ad Regulam & statuta visitet Conventus, Fratres, ac Cellas, superflua tollat. pag. 144. n. 1.

Privilegia & exemptiones Fratribus de facili non concedat. Ibidem. n. 2.

Ad danda munera vel eqvitationem no licentiet. Ibidem.

Vtramqve aurem porrigat accusanti & accusato nec de facili mutationes Fratrum faciat. Ibidem. n. 2.

Formam Visitandi Fratres in particulari servet, uti est tradita. pag. 99. n. 4. & pag. 145. n. 5.

Cautela in Visitatione ac depositis servanda. pag. 145. n. 3.

Visitata & Correcta in Conventibus relinqvat emendanda. pag. 146. n. 5.

Monialium Numerus determinatur. pag. 174.

Magistrorum sexennalium privilegia pag. 131.

N.

NOvitii de bonis suis disponant ante Professionem. pag. 7. n. 7.

Nemo ab illis aliqvid accipiat. Ibidem.

Novitiis non licet literas scribere ad alias Personas, nec alios alloqvi absqve Magistro. pag. 7. n. 8.

Nec ingredi Cellas Professorum & è converso. Ibidem.

Novicii extra Conventum non mittantur nisi ad publicas Processiones. pag. 8. n. 9.

Ad servitia infirmorum non deputentur, nec studio vacent nec ad Ordines promoveantur. Ibidem.

ProNovitiis fiat disqvisitio qvovis qvadrimestri, & illa sit libera non coacta semel tantum Vota recipiantur. pag. 7. n. 10.

Si Vota sint æqvalia qvid agendum. Ibidem.

Novitii sua sponte ex Religione egressi prouti qvi in alia Religione

gione probaverint nisi gravi prævia deliberatione recipiantur, at de expressa licentia A. R. P. Ministri pag. 9. n. 11.

Forma pro induendis Novitiis. Ibidem.

Qvo loco & die qvis habitum Religionis acceperit fiat adnotatio in libro seorsivo. pag. 6. n. 6.

A Noviciatu qvi debet esse distinctus à Professis. Claves sint penes Magistrum. pag. 8. n. 9.

Novitii qvaliter & qvibus Conditionibus admittendi sunt ad Professionem. pag. 15. n. 1.

Vota pridie Professionis pro Iisdem recipiantur. pag. 15. n. 2.

Nemo post Professionem cognomen qvod in Noviciatu tenuit mutet. pag. 16. n. 3.

Forma recipiendi Novicios ad S. Professionem. pag. 15. n. 1. item 16. n. 18.

Novelli professi in Actis Provinciæ adnotandi. pag. 117. n. 2.

Numerus determinatus Monialium pag. 174.

O.

TEnemur ad strictam obedientiam summo Pontifici, Protectori Ordinis, superioribus Generalibus, Provinciali, & Gvardiano. pag. 2. n. 3.

Ad Ordines Idiotæ, discoli &c. non promoveantur. pag. 22. n. 1. & 3.

Neqve sine expressa licentia A. R. P. Ministri ac sine prævio examine. pag. 22. n. 3.

Ordinandorum examen à qvibus per agendum pag. 22. n. 3. & pag. 23. n 3.

Ad Ordinem Presbyteratus qvi sunt promovendi & qva conditione. Ibidem.

Officium parvum de Beata in choro & privatim persolvtaur, & qvali modo, & à qvibus. pag. 31. n. 9.

Officium Defunctorum in Qvadragesima uti & Graduales &c. qvaliter persoluenda. Ibidem.

Officium Defunctorum pro Fratribus ac Patribus mortuis ac alia Suffragia qvaliter persolvenda. pag. 31. n. 10.

Orbes vel scutellas lavare qvinam tenentur. pag. 38. n. 4.

Cum Obedientialibus alio missi sarcinulas suas Superiori Loci præsentent. pag. 41. n. 4.

Offertoria Confraternitatum qvaliter permittuntur. Funeralia prohibentur pag. 47. n. 6.

Otium à Fratribus per Superiores eliminetur. pag 50. n. 1.

Orationi mentali ac Vocali omnes interſint. pag. 51. n. 1.

Qvo tempore & ubi peragi debent. pag. 52. n. 1. & 2.

Orator Capituli pag. 104. n. 1.

Organarii officium. p. 136. n. 1.

Artem hanc recuſantes puniantur, Alios docentes foveantur. Ibidem.

Obligatio ſtatutorum qvalis. pag. 165.

P.

PRælatis Eccleſiæ debita reverentia exhibenda. pag. 2. n. 3.

Proteſtationis forma Aſpirantibus ad ſacrum habitum. pag. 5.

Profeſſis non licet ingredi cellas Novitiorum pag. 7. n. 8.

Profeſſandorum Conditiones pag. 15. n. 2.

Poſt Profeſſionem cognomina non mutentur. pag. 16. n. 3.

Profeſſionis forma. Ibidem. & pag. 18.

Novelli Profeſſi non ſtatim ex loco Noviciatus moveantur. pag. 21. n. 1.

Neo Profeſſorum locatio in ſeminariis. Ibidem.

In Cantu ac Muſica exerceantur. pag. 22. n. 1. &. 2.

Ad prædicandum in Refectorio juniores compellantur. pag. 23. n. 4.

Pannificinæ in locis ubi ſunt manu teneantur, & Fratres ad id muneris apti ibidem locentur. pag. 23. n. 1.

Superiores locales lanam & alia neceſſaria provideant. pag. 24. n. 1.

Pannus ſit Cordelatus cinericei Coloris pro habitibus. p. 23. n. 1.

Pannus pro Tunicellis qvalis, pag. 24. n. 2.

Pelliceos ſimplices poſſunt concedere ſuperiores Fratribus tempore hyemis pag. 24. n. 3.

Non item pectoralia qvæ interdicuntur. Ibidem.

Prandium & cæna ultra horam non prolongetur pag. 38. n. 3.

Poſt Prandium & cænam ad Eccleſiam eundum. pag. 39. n. 5.

Pecuniæ receptio prohibita, pag. 44. n. 1.

Pecunia oblata Fratribus qvaliter acceptanda & expendenda. pag. 45. n. 2.

Fra-

Fratres Provisores necessaria à Benefactoribus in propria specie petant cum bisaccis vadant. pag. 45. & 46. n. 4.

Pecunia pro determinata necessitate oblata in aliam commutari non potest. Ibidem. n. 5.

Pomaria qvoad fructus non locentur sæcularibus. pag. 60. n. 4.

Eadem manu teneri debent. Ibidem.

Pueri à Conventibus relegentur. pag. 67. n. 3.

Pænas à Superiore impositas inferior relaxare neqvit. pag. 79. n. 10.

Privatio Vocis activæ & passivæ seu Juris suffragiorum qvid sit. pag. 76. n. 1.

Privatio Actuum legitimorum qvid. Ibidem. n. 2.

Privatio officiorum Ordinis qvid. Ibidem. n. 3.

Potus Cremati parce sumendus. pag. 93. n. 3.

Prædicatorum Examinatores. pag. 114. n. 1.

Prominister ad Capitulum Generale. pag. 118. n. 4.

Et si in Hispaniis suffragetur. Ibidem.

Primarius Pater post mortem Ministri Diffinitorium convocat. pag. 120. n. 1.

In electione Vicarii præsidet. Ibidem.

Patres Provinciæ propriè & impropriè dicti. pag. 124. n. 1.

Improprie dicti sint n. 16. & non ultra pag. 125. n. 2.

Propriè dicti Patres vocandi sunt ad singula Capitula & Congregationes. Ibidem. n. 3.

Officio privari vel graves pœnas subire qvaliter valent. Ibid.

Eorum Prvilegia. pag. 124. n. 1.

Provisores qvales asignandi & qvaliter inter sæculares se gerere debent. pag. 137. n. 1.

Egressi de Conventu Clavim a Cella relinqvant nec ultra duas septimanas morentur extra. Ibidem.

Boni Charitative tractandi, discoli puniendi & in Conventu tenendi. Ibidem.

Fratrum Pannificum officium præmia & pœnæ. pag. 138. & 139.

Fratris Portulani officium. pag. 140.

Prædicatores à qvo instituendi & qvales. pag. 141. n. 1.

Formales biennio Theologiæ vacent. Ibidem.

Qvi non sunt incorporati Prædicatores uti & Confessores esse neqveunt. Ibidem.

Lucrum Animarum non vacuam gloriam qværere tenentur. Ibidem. n. 2.

Prædicatorum exemptiones & obligationes. pag. 142. n. 3.

Novelli gradatim promoveantur novem Annis ad Titulum obtinendum prædicent. Ibidem. n. 4.

Præcedentia illorum & Intendentia super Confraternitates. pag. 143. n. 5.

Puellæ ad Monasteria aspirantes qvaliter recipiendæ ad probam. pag. 161. & 162. n. 5.

Privilegia post mortuas moniales recipiendi Stubellas nulla. pag. 162. n. 6.

Professio Fidei in fine pag. ultima.

Pænæ.

Male ad Ordinem recipientium. pag. 5. n. 5.

Post Professionem aliqvid sibi ex rerum dispositione retinentium. pag. 7. n. 7.

A Novitiis dona acceptantium. Ibidem.

Novicios pro qvæsta vel sociis assignantium pag. 8. n. 9.

Pro Novitiis Vota affirmativa extorqventium, illos nimio laudantium, vel vituperantium, libertatem Fratrum votantium pro illis, tollentium, ne ad sæculum vel aliam Religionem egrediantur, prohibentium, pag. 8. & 9. n. 10.

Cognomina post Professionem mutantium. pag. 16. n. 3.

Studia, Cantus, & Musices recusantium. pag. 22. n. 1

Nolentium in Refectorio prædicare. pag. 23. n. 4.

Habitus Veteres non remittentium ad Noviciatus. pag. 24. n. 2.

Dantium pecuniam pro habitu loco panni. Ibidem.

Habitus veteres non reddentium Superiori Ibidem.

Sudaria præcisa infirmitate. Pectoralia alias kawtany deferentium. pag. 24. n. 3.

Biretino publice utentium. pag. 35. n. 4.

Sine

Sine habitu in publico deambulantium. Ibidem. n. 5.

Vestimenta sua donantium vel ex Malitia destruentium. pag. 25. n. 5.

Nolentium addiscere rasuram. pag. 26. n. 1.

Levitates in rasura facientium, vel barbam absqve Corona radentium. Ibidem n. 2.

Errores Missæ aut superstitiosas devotiones nolentium emendare pag. 27. n. 1.

Missæ de Immaculata Conceptione ac Conventuali non interessentium. Ibidem n. 2.

A Divino officio in Choro persolvendo se absentantium, tardè venientium vel non finito egredientium. pag. 28. n. 4. & n. 5.

Superiorum in hoc conniventium & negligentes non culpantium. Ibidem n. 4.

Fratrum Laicorum Missis inservire nolentium vel non Confitentium ac reconciliationi in Refectorio non interessentium. pag. 29. n. 6.

Superiorum pro Lampade ad Venerabile non subministrantium. pag. 30. n. 8.

Errores in Divino officio committentium vel non modeste se in choro gerentium. pag. 32. n. 11.

Superiorum Jejunantibus necessaria non providentium. pag. 33. n. 1. & 2.

Carnes diebus jejunii manducantium aut lacticinia Ibidem.

Silentium non servantium. pag. 36. n. 4.

Strepitum aut clamores in Claustro facientium Ibidem.

Superiorum victualia ad corruptionem avide servantium. pag. 37. n. 2.

A mensa communi se absentantium, Rusticis vel servitoribus sæcularibus portiones à mensa extradentium Ibidem.

Ad examen conscientiæ post cœnam non venientium. pag. 39. n. 5.

Absqve licentia de Conventu egredientium. pag. 39. n. 1.

Tardè redeuntium & non se præsentantium pœna. Ibidem & pag. 40.

Sociorum delicta non deferentium Fratris ad Civitatem vel alibi missi. pag. 40. n. 1.

Superiorum ad manducandum

& bibendum Fratres ſuos diſpenſantium Ibidem. n. 2.

Fratrum manducantium vel bibentium in Civitate abſqve licentia Ibidem.

Divertentium ad alias domos vel loca ſine licentia. Ibidem.

Irreligioſe apud ſæculares degentium pag. 41. n. 3.

Apud Benefactores ultra præfixum tempus commorantium Ibidem.

Sæculares ud petendas pro ſe licentias ſubordinantium. Ibid.

Superiorum obedientiales Fratribus detinentium, Ibidem n. 4.

Ad deſtinatos Conventus ire cum Obedientialibus nolentium ac divagantium in itinere. pag. 41. n. 4.

Ad alia loca euntium ac venientium & ſarcinulas ſuas præſentare nolentium. Ibidem.

Forenſium Fratrum recta ad Conventus Noſtros non descendentium vel ſine benedictione ſua negotia tractantium. pag. 42. n. 5.

Eqvis ac Curru ſine licentia utentium & ad id de facili, alios licentiantium. Ibidem. n. 1.

Superiorum ultra præſcriptum Eqvos & boves foventium. pag. 43. n. 2.

Denarios recipientium, expendentium conſervantium. pag. 44. n. 1.

Debita contrahentium. Ibidem.

Superiorum penes ſe Eleemoſynam pecuniariam conſervantium. pag. 44. n. 3.

Fratrum Proviſorum pecuniam recipientium aut aliqvid ſubtrahentium. pag. 46. n. 4.

Superiorum Qvæſtuariis de mercede famulorum &c. non providentium vel ſubditos ad pecuniam qvæſtuandam pro Neceſſitatibus veris cogentium. Ibidem.

Superiorum Eleemoſynas alteri Conventui dantium. Item in ſtudiis hoſpitantes munera pecuniaria offerentium. Ibidem. n. 5.

In feſtis ſuorum Patronorum tractantium Communitatem mediante pecunia. Ibidem.

Offertoria pecuniaria in funeralibus vel miſſis ac Concionibus, ac Cyppos & capſulas in Noſtris Eccleſiis permittentium. pag. 47. n. 6.

In

In Judiciis procuram agentium qvoad legata ac proteſtationes facientium. pag. 49. n. 8.

Superiorum Eleemoſynas defraudantium munera dantium. pag. 50. n. 10.

Otioſorum & non laborantium pag. 50. n. 1.

Reliqviaria &c. laborantium. ſine ſcitu Superioris. pag. 51. n. 2.

Exercitia Spiritualia ſive Recollectiones non abſolventium ac ſuperiorum negligentium. pag. 52. n. 2.

Libros de Bibliothecis diſtrahentium ſibi appropriantium. pag. 57. n. 2. & pag. 58.

Sine licentia res ad uſum detinentium donantium, oppignorantium. pag. 59. n. 1.

Superiorum debita contrahentium aliqvid ementium vel vendentium ſine Syndico. Ibidem.

Fratribus neceſſaria non providentium. Ibidem. n. 2.

Superiorum Hortos, pomaria, prata, domos, locantium pro pretio. pag. 60. n. 4.

Vinum vel mulſum intra vel extra Conventus Vendentium. Ibidem.

Famulos ultra Neceſſitatem foventium pag. 61. n. 5.

Ædificia antiqva dirventium vel nova fabricantium ſine licentia, lateres coctos, calcemqve comparata pro fabrica diſtrahentium ac vendentium. Ibidem.

Granum alienum in Conventibus locantium. Ibidem. n. 6.

Depoſita aliena aliter qvam cavetur conſervantium. pag. 61. & 62. n. 6.

Lumen poſt Silentium habentium pag. 62. n. 8.

Proviſorum procurata Superiori non reddentium. pag. 63. n. 1.

Alienas qvæſtas invadentium & ad id licentiantium pag. 63. n. 1.

Superiorum divagantium & Chorum non freqventantium. pag. 63. &. 64. n. 2.

Superiorum erga infirmos crudelium pag. 64. n. 1.

Morbum fingentium. pag. 65. n. 2.

Infirmis inſervire nolentium. Ibidem. n. 3.

Ex Infirmariis & Foraſteriis aliqvid auferentium pag. 61. n. 1.

Sæculares ad ſtubellas & Cellas conducentium Item pueros foventium. pag. 68. n. 3.

Confeſſariorum colloqvia cum fæminis protrahentium Pænitentes dure tractantium, ſigillum frangentium ac ad Confeſſiones excipiendas ire nolentium pag. 73. & 74. n. 7.

Indebite carcerantium aliqvem. pag. 77. n. 4.

Criminum graviorum vel iteratorum, pag 77. n. 5.

Ex carcere liberantium. pag. 78. n. 6.

Apoſtatarum pænæ. pag. 79.

Inobedientium. pag. 85. n. 1.

Viſitatori Generali rebelliſantium. Ibidem.

Miniſtro Provinciali Vicario vel Commiſſario non obedientium. pag. 86. n. 2.

Gvardianis recalcitrantium vel reſpondentium aut inhonorantium. pag. 86. n. 4. & 87. n. 5. & 26.

Proprietariorum. pag. 87. n. 1.

Furtum Commitentium vel reliquias ſacras ſurripientium. pag. 88. n. 2.

Contra Caſtitatem delinqventium, ſuſpecta conſortia habentium. pag. 88. n. 1.

Revelantium ſecreta Religionis. pag. 89.

Calumniatorum Detrahentium, pacis turbatorum, Verbis offendentium Combinatorum falſum in Judicio regulari deponentium. pag. 90. n. 1, 2. & 3.

Literas & ſigilla falſificantium, impedientium pag. 91 n. 1.

Literas ſuperfluas ſine ſcitu Superioris ſcribentium ac recipientium. pag. 92. n. 2.

Bibulorum pænæ. pag. 92. n. 1. 2. &. 3.

Comminantium & percutientium pag. 93. n. 1

Non Celebrantium, non Confitentium ac officium non recitantium pag. 95.

Favores per perſonas extraneas procurantium. pag. 75.

Simoniacorum & ſubornatorum Ibidem.

Vocali-

Vocalium ad Capitulum non accedentium. pag. 103. n. 1.

Votum in Capitulo pro se dantis pœna. pag. 109. n. 10.

Ad Capitula sine licentia venientium. pag. 102. n. 2.

Secretarii contra officium suum delinqventis ac munera recipientis. pag. 116. n. 4.

Ministri ad Generale Capitulum, non accedentis. pag. 118. n. 4.

Præsidentem Conventus ad Gvardianum eiusdem Conventus Eligentium. pag. 126. n. 2.

Gvardianorum Chorum non freqventantium. Hebdomadam non facientium, à Conventu se absentantium pag. 126. n. 2.

Exorcisantium Obsessos sine licentia. pag. 128. n. 4.

Discretorum malos defendentium vel ad Discretoria ire nolentium ac secreta revelantium. pag. 129. n. 2.

Novicios increpantium vel eis ad servitia utentium. pag. 131. n. 3.

Magisteriatum Noviciorum recusantium. Ibidem.

Cantare ex Malitia nolentium. pag. 134. n. 2.

Sacristæ negligentis vel infidelis. pag. 136. n. 4.

Artem Organariam recusantium ad organa & Chorum sæculares admittentium. pag. 136. & 137.

Qvæstas aliorum Conventuum invadentium. Eqvos vendentium Provisorum. pag. 137. & 138.

Pannificum infidelium vel male opus suum facientium. pag. 138. & 139.

Sartoris, Canaparii, Coci, Portulani male se gerentium. pag. 139. & 140.

Sine approbatione concionantium pag. 141. n. 1

Scomatice Concionantium pag. 142. n. 2.

In Visitatione contradicentium. pag. 144. n. 1.

Mutationem loci extorqventium sine causa. pag. 145. n. 2.

Accusantium & non probantium. pag. 145. n. 4.

Sponte confitentium ac occulta delicta. pag. 146. n. 4.

Ad portas Monialium Confabulantium. pag. 160. n. 2.

Monialium secreta revelantium. pag. 161. n. 4.

Pænæ non incurruntur ipso facto ante declarationem. pag. 164.

Q.

QVinqvè Pater & Ave &c. post cænam in Ecclesia. pag. 39. n. 5.

Qvæstarii petita & oblata fideliter reddant. pag. 63. n. 1

Qvæstæ divisio. pag. 167.

R.

REgula ad literam servanda iuxta declarationes Nicolai III. & Clementis. V. pag. 1. n. 1.

Qvavis feria sexta legatur vel cantetur ad mensam. pag. 1. n. 1.

Receptio Aspirantium ad sacrum habitum qvaliter facienda. pag. 3. 4. & 5.

Recepti ad Ordinem probentur in obseqviis humilioribus pag. 5. n. 6.

Absolvantur à Censuris anteqvam induantur. pag. 6. n. 6.

Fratres semel intra duas hebdomadas radantur domino non foris. pag. 26. n. 1.

Nescientes radere ad discendum compellantur. Ibidem.

Recursus ad amicos Spirituales pro necessitatibus qvaliter fiat. pag. 44. n. 2.

Reliqviaria & Imagines subductæ non laborentur à Fratribus. pag. 51. n. 2.

Recollectiones sivè Meditationes octiduanæ ad omnibus qvotannis peragantur. pag. 52. n. 2.

Reus alicujus Criminis præveniens sponte Prælatum anteqvam incusetur mitius puniendus. pag. 73. n. 6.

Renuncient Gvardiani & Confessarii Monialium officiis in Capitulis

pitulis & Congregatione intermedia. pag. 114. n. 1.

S.

STatuta hæc Provincialia habeantur in omni Conventu ac inviolabiliter ſerventur. pag. 2. n. 2.

Bis in anno temporibus præſcriptis legantur. Ibidem.

Explicentur Fratribus Laicis vulgari idiomate. Ibidem.

Seminaria pro Novellis Profeſſis deputantur. in Caſimirienſi & Praſnenſi Conventu. pag. 21. n. 1.

Magiſter Seminarii qvalis. Ibidem. pag. 22.

In Studiis Philoſophicis pariter ſeminaria ſint. pag. 22. n. 2.

Sudaria infirmis exceptis interdicta. pag. 24. n. 3.

Sandaliis uti poſſunt Senes & infirmi. pag. 25. n. 3.

Socculi tempore hyemis permittuntur non tamen egreſſuris ad Civitatem. pag. 25. n. 4.

Suffragia pro defunctis Fratribus ac Patribus qvaliter perſolvenda. pag. 31. n. 10.

Silentium in Sacriſtia, Refectorio ac Dormitorio ſervandum. pag. 36. n. 4.

Qvo tempore pulſandum. Ibdi.

Seſſiones poſt Silentium compeſcendæ. Ibidem.

Silentium ad menſam toto tempore ſervandum nec dispenſandum. pag. 38. n. 3.

Syndici Eleemoſynas pecuniarias conſervent. pag. 45. n. 3.

Poſſunt iidem cum hæredibus quoad pia legata componere. pag. 49. n. 9.

Studia literaria paternè foveantur. pag. 53. n. 1

Gvardiani Charitativi in illis collocentur. Ibidem.

Studioſi extra Conventum ſæpius non mittantur, discoli non promovendi nec fovendi in Studiis. pag. 56. n. 6.

Studioſorum Privilegia & exemptiones. Ibidem.

Studia & Lectores casuum. Ibidem. n. 7.

Tempore pestis de studiis fiat provisio. Ibidem. n. 8.

Superiores locales Fratribus omnia necessaria suppeditent. pag. 59. n. 2.

Convocent duabus vicibus Fratres & de Necessariis inqvirant. Ibidem.

Suppellectilis Ecclesiæ & sacristiæ extra non commodetur. pag. 60. n. 4.

Seminatio grani in Conventibus vetita. pag. 61. n. 5.

Stubellæ non multiplicentur & quibus dandæ. pag. 62. n. 7.

In stubellis silentium servetur, Visitentur à Superiore & superflua tollantur. Ibidem.

Post silentium in Cellis lumen extingvatur. pag. 62. n. 8.

Superflua non mendicentur. pag. 63. n. 1.

Sæculares ad Cellas stubellas & dormitorium non admittantur. pag. 67. n. 3.

Superiores cum Notabiliter delinqventibus vel Crimen notorium admittentibus qvaliter se gerere debeant, pag. 75. & 76. n. 3.

Suspensio qvid sit, pag. 78. n. 8.

Superiorum circa Apostatas potestas & Cura. pag. 83. n. 12.

Secretarii in Refectorio sub tempus Electionum Capitularium adesse non possunt pag. 104. n. 2.

Schedulæ post singulas Capitulares electiones comburantur. pag. 111. n. 12.

Secretarius Provinciæ qvalis & à qvo instituendus, pag. 115. n. 4.

Juramentum faciat, Ibidem. pag. 116.

Sacristæ officium pag. 134. n. 1. 2. & 3.

In Custodiis qvales institui debent. Ibidem.

Sacristiani privilegia ac respectus. pag. 136. n. 4.

Fratris sartoris officium. pag. 139.

Sus-

Suspecta Consortia. pag. 160. n. 1.

Statuta tam Generalia qvam Provincialia qvaliter obligent. pag. 165.

T.

TVnicellæ sint ex panno bene compacto. pag. 24. n. 2.

Alia tunicella pro mutanda potest concedi. pag. 24. n. 3.

Tonsura Fratrum qvo tempore & qvaliter facienda. pag. 26. n. 1. & 2.

Tecturæ ac Lectisternia privata qvibus licita. pag. 62. n. 8.

Tituli in superscriptione literarum qvales dandi ad Nostros pag. 92. n. 2.

Testimonia jurata pridiè Electionis Capitularis legenda & revidenda. pag. 104. n. 1.

Testis. pag. 149.

Tertia Soror in Monasteriis. pag 163. n. 8.

Tabula Monialium Professarum & mortuarum. Ibid. n. 10.

Tertiarios inducendi modus pag. 174.

Item Professandi. pag. 179.

V.

VEstes suo usui concessas nemo donare aliis potest. pag. 25. n. 5.

Vesperæ diebus non festis hora secunda post prandium divisim à Completorio persolvantur. peg. 30. n. 8.

Visitationes Canonicæ qvaliter & qvomdo instituendæ. pag. 99. n. 4.

Vota absentium vel defunctorum in Electionibus Capitularibus per alios suppleri neqveunt. pag. 109. n. 10.

Vota eligentium qvaliter reponenda & revidenda. pag. 110. n. 11.

Votorum pluralitas concludit. Ibidem.

Vicarius Provinciæ qvaliter

eligendus & qvamdiu gubernat. pag. 120. n. 2

Si biennio regat gaudet præcedentia non tamen in Ministrum eligi valet. Ibidem.

Vicarii Conventuum qvales & illorum ætas. pag. 128 n. 1.

Choro semper adsint. pag. 129. n. 1.

In absentia Gvardiani uti Præsides gubernent. Ibidem.

Parvo officio recitando & manuali exercitio interfint. Ibidem.

Ad mensam legere & Orbes lavare obligantur. Ibidem.

Visitationes Canonicæ qvaliter instituendæ. pag. 144. n. 1.

Visitationis Juridicæ modus ac formandi processus. pag. 147.

Pol. 8. II 1144

Juramentum de Absolut. Missis
invenitz post fol. 18 in scriptum

Juramentum de Absol Missis
invenitur post N. fol. 18 insertum.